

NICOLAI CHE-
MYNI AVRELIANI
ANTAPOLOGIA ADVER-
SVS AVRELIIBVCIIDE-
FENSIONEM PRO AND.
ALCIATO CONTRA
D. PETRVM STEL-
LAM NVPER
AEDITAM.



μηδ' ἔμοι μέλι, μήτε μέλιττα.



Nocet empta dolore voluptas.

PARISIIS EX OFFICINA GE-
RARDI MORRHII CAM-
PENSIS APVD COLLE-
GIVM SORBONAE.
M. D. XXXI.

AD FRATRES HARDOY-
NUM, ET ANTONIVM ILLV-
strissimū uirū D. Adami Fumai Ma-
gistrorum à libellis in prætorio
primi filios, ex Aureliana aca-
demia discedentes. Nico.
Chemynus.

Viximus ô uestri fratres spes altera patris,
Heroisq; pares nobilitate uiris:
Nos simul Aurelijs aliquos ita uiximus annos,
Nullum ut, qui non uos prædicet, esse putē.
Nunc, ut perpetuum nihil est, dissoluitur ille
Conuictus, uarijs uitaq; agenda locis.
Et licet hinc nostri ius non lædatur amoris,
Est consuetudo disseparanda tamen:
Nam postq̄ egregio uestrae certamine uires
Perspectæ, & culti dotibus ingenij,
Tandem insignitos, præceptorumq; probatos
Decreto, ut calido est aurea lemma foco,
Vos è Gymnasijs ad res pater ipse gerendas
Euocat, & missa iam facienda nuce
Quare agite ô iuuenes: uobis, ô patre beati,
Vita sit, & tanto digna parente fides.
Quondam fortè ad uos uestri si cura Chemyni
Moribus ornandos profuit ulla pijs,
Si quicquam docui, gratum sit queso. Valete,
Perpetuò & memores (uos precor) este mei.

EPISTOLA

SOLLVSTRISSIMIS VIRIS,
AC ANTISTITIBVS DIGNISS. CLAV-
dio Hangestio Abbati Diui Eligij No-
uiodunē. & Antonio de Lalaing
Hoostratani Comitiss filio.
Nico. Chemynus. S.



Oc, quicquid est exercitatio uiculae
digniss. uiri, nunq̄ est à me in hoc
elaboratum, ut mundo aliquando
proderetur. Neq; enim tantæ ad-
huc fuisse me inconsultæ temerita-
tis memini, ut quicquam aliquando mea esse
ctum industria, cuius ego tenuitatis mihi sum
probè conscius, eiuscemodi sperarim futurum,
ut ædi in publicū uel promeretur, uel uideri
ullis dignum posset. Quo fit, ut suffragium ue-
strum has nugas ultra, ut ego quidem sentio, q̄
par sit, attollentium ni alij quidam neq; nullius
iudicij, neq; uulgaris eruditionis homines suo
quoq; calculo comprobarent, iustè mihi exi-
stimandum arbitrarer uos uel non seriò, neq;
ex animi uestri sententia pronunciare, uel amo-
re mei, quominus rectè de me iudicare possitis,
planè cæcutire. Ea, pfectò qualis qualis est dispu-
tatio, non concedam esse quenquam, cui minus
placeat, quàm mihi: Nam eius elucubratio &
si me quodam ueluti contentionis calore percul-
sum

sum, ac memet propterea alacriter quasi ad uictoriae applausum urgentem non nihil delectaret, absolutam tamen ipsam, atque ad umbilicum bimestri ad summum, post aeditam Albucij defensionem, spacio perductam non tanti me fecisse, neque anxiam eius curam gessisse magno illud argumento est, quod ab illo usque tempore a me ferè semper ita abfuerit, ut paulo ante hac, quum eius mihi memoriam publicandi mentione refricatis, obliuisci inciperem de ea re quicquam a me fuisse antea scriptum. Illa enim ubi primum apud me nata est, importunis amicorum precibus extorta, aut clam potius ab ijs subducta, qui, ut nunquam ferè defunt, qui res nihili & magni faciunt, & potioribus anteponant, ita transcribendam nescio quem in fine cura uerunt, ut eam non per uestras tantum, sed per plurimorum quoque scholasticorum aliorum manus mutilam uolitare audiam, atque in emendatam. Quod eo mihi est durius, quo ego cauisse circumspectius uidebar, ne multis id a me factum innotesceret, quod cum animi gratia luseram, tum ut minimum id ad scribendum facultatis, quod mihi per professionis huius nostrae studia utcumque licuit comparare, ad huius generis pertractandos, ac disputandos etiamnum iuris articulos, quonia ad id faciendum oportunam hinc mihi occasionem uidebar nactus, iuxta eorum sententiam accommodarem, qui de recte loquendi arte exercendaeque dictionis ratione praecipientes, haec
atque

atque huiusmodi iuuenes frequenter conari utile apprime esse censerunt. Ad quod praeter haec impulerat & illud me, quod ubi perficiendum certum quid mihi de medio sumptum, ac praefinitam aliquam suis cancellis materiam absolute mihi excutiendam praestitui, longè operi instantiorem interim me esse, atque studiosiorem me praestare aliquo iam usu sim expertus, quam alias, quum id mihi per totam Digestorum syluam uaganti frequenter accidit, quod usu uenire ijs solet, qui in dubijs, quas uocant, cœnis accumbentes, per copiam, ut ille inquit, inopes fiunt: nempe ut ego tum rerum auocatus multitudinem, tum suspenso eligendi iudicio detentus, praeterquam quod magnam interim facio temporis iacturam, ad alia etiam ut diuertam adduci facile possum. Neque id mihi peculiare, sed esse omnibus ex aequo commune arbitror, ut ad susceptam singularis operis absolutionem, quam ad delibanda confuse omnia eò acrior fit uniuscuiusque attentio, quò tum melius exploratae suam, siquam admisit, negligentiam emendare, ac sese uehementius incitare potest: quoniam perspicere facillimum sit opus ipsum quantum uel sedulitate promoueatur, uel retardetur inertia. Eius igitur ipse consilij per se semper fui, ut menstrui cuiusque mei studij rationem constare mihi, & quid eo effectum esset, tum cernere pla-

nè oculis, tum manibus etiam cōtrectare, iccirco uoluerim, ne dum me exantlati prius laboris, cuius nullus sese euidenter fructus proferret, forte pœniteret, ipsum redintegrare, ad eūq; denuo accingi detrectarem. Inde factum est, ut permultas apud me huius generis, neq; notæ deterioris disputationes habeam scriptis mandatas, quas ego ratione superius à me commemorata ingenio ludens, de ijs potissimùm articulis composui, quos ipse inter magnos uidebam, ac celebris hac ætate nominis uiros controuerti, qui in leges non nihil commentati sunt. Ea enim quum ferè sit adolescentiæ natura, & feruescentis iuuenili calore animi, ut concertatore gaudeat, ac, ueluti in bello caballus, exultet (quod illæ declarant acriusculæ interdum, quæ pueris indici in ludis solent, uelitationes, quibus nihil repertum est, quod illos uehementius animaret ad sese literarijs suis armis studiosius instruendos) antagonistam mihi ex eorum turba prouocare, qui pauca hoc tempore, sed eleganter in iuris interpretationem scripserunt, magnificentius ducebam, ac suscipiendo etiam periculo dignius, quàm si notis accipiendum mihi ex ueteribus aliquem, & in dogmatibus confutandum assumpsissem, quem sedulo conatu oppugnare non magnum mihi admodum, neq; gloriosum iccirco uidebatur, quod

id

id à nullo non quotidie fiat: ut & illud nō omitam, quòd ne luctari cum laruis, aut lacessere absentes existimarer: quæ mihi res cum illis erat, quos adhuc uiuere non ignorabā, cum presentibus quodammodo esse, id est, respondendi facultate nondum destitutis, persuadebatur. Quanquam enim mihi canerem, neq; minus quicquam tum cogitarem, quàm ea aliquando in hominum manus peruentura, quæ comminiscabar, illa tamen optabam, quoad eius fieri posset, ferijs esse, atq; in lucem prodituris non absimilia. Quæ tamen si retractare nunc uelim, & accuratiora facere, permulta mihi ijs adijcienda res ex eo tempore gestæ suppeditarent, quo à me sunt scripta. Sed ea præterquàm quòd neq; neglectiora uideri mihi, neq; aridiora possunt, quorum ne apicem quidem magnopere optarim extare, eadem etiam ut recognoscam, imperare mihi non possim, qui eius sum naturæ, ut duo ex integro componere huius generis opuscula malim, quàm unicum, cui supremam iam manum adiecisse me confidam, in manus denuo castigandi intentione assumere. Quare id, cuiuscūq; modi est, quod penes uos habetis, si quale primùm natum est, luce dignum uobis uideatur, uestro statuetis arbitrio, ita tamen ut mei interim rationem habentes, uideatis, ne quod iuueni mihi hac adhuc tã immatura ætate

A iij te

te excidit, seni, si tãdiu superesse contigerit, op= probrio esse queat, ac dedecorosum: uereor si= quidem, ne quod uænalium permultarũ rerum exemplo in officinæ tenebris nunc delitescens probum uobis, & uendibile uideatur, in lucem productum pœnitendum sit, & concepta de eo opinione longè inferius, uitijs scilicet in ipsa luce clarius apparentibus. Atqui illud mecum nõ ignoratis, quàm non sit temere quicquam hoc æuo publicandum, quo anxia sunt quædam, morosacq; adeousq; ingenia, ut placere illis nihil possit: in quorum iudicia si mihi, quod iure despero, ædendis unquàm monumentis periclitã= dum esset, auspiciatissimum eius rei, si fieri posset, exordium, neq; eiuscemodi esse peroptarim, quod in cuiusquam indignationem suo merito esset incursum, quale & si hoc permultis non uidebitur, cuius æditionem tantopere efflagitatis, uideo tamen exactissimo potius uestro iudicio, cui saluo debitæ uobis reuerentiæ iure non obsequi non possum, quàm meæ ipsius deliberationi esse acquiescendum, quum præsertim tales sitis, atq; eam ad existimationem perducti, ut quod inculpatæ ipsi, ac probatissimæ uitæ, alienum probaueritis, improbabile, nisi quàm paucissimis uideri debeat. Equidem quum uestrum utriusq; indefesum studium, doctrinam istam non uulgarem, ac mores deniq; incorru=

ptos

ptos apud me reputo, quibus quum natalitiam istam, ac genuinam uobis nobilitatẽ augustior rem, tum uos nulli non gratiosos, atq; amabiles redditis, in memoriam mihi subit insigne illud, ac memorabile par amicorum, Ioannes Genlius Nouiodunẽ, Episcopus, & Stephanus Poncherius iuris doctor, Rotanusq; Abbas meritissimus, cuius utriusq; eximia uirtus cum summa etiam coniuncta nobilitate, tantam de ijs admirationem apud omnes ordinis cuiuscunq; homines in hac Vrbe excitauerat, uti eos & præceptores discipulis, & parentes liberis ad capiendum ingenij cultum huc missis, pro exemplo imitãdos passim proponerẽt. Quod uobis cum illis commune, quo rarius hodie in uestræ fortis hominibus contingit: eo est laudabilius ac magis suspiciendum. Quare tametsi quod mei in uos obsequij est, sciam non defuturos, qui ambitæ esse gloriæ interpretabuntur, nihil efficere tamen potest, ut uobis hominibus humanissimis denegare quicquam possim. Bene ualete uiri optimi, & quem uobis doctorem in explicandis iuris nodis cooptare non dedignati estis, amare non desinite. Aureliæ Calend. Martijs.

IOANNES CALVINVS
FRANCISCO CONNANO
I VRIS SVDIOSIS
SIMO S.

ECCE tandem exit Apologia Chemyni nostri, communemq; scriptorum aleam experitur: & si non eo consilio scripta, ut in publicū aliquando prodiret. Sed æquum fuit hæc quoq; publicari, quæ uir ille excitandi exercendiq; ingenij gratia luserat, ne Stellæ deesset suum patrociniū, & Albu-
cius nescio quis sine sanguine & sudore pæanas sibi suos caneret. Quod si quis mauult Alciatū pro Albu-
cio, ego nec affirmare ausim, nec uelim refellere: sed sagaciores quidam subodorantur Alciatum mutuatio no-
mine uoluisse dissimulari, ne dentata supra modum ac impatientis linguæ facundia talionis iure pensaretur. Neq; uero Stellam destitutum præsidij fuisse quisquam arbitretur, aut eius silentium interpretetur confessionē, qua uictoriam hæctenus Albu-
cio permiserit. Verum intelligat hominem serijs negocijs occupatum, hac etiam in parte fiducia ueritatis subnixum, noluisse perdere operam in rebus minime necessarijs, quum res ipsa pro se satis loqueretur: alioqui iam in mille Albu-
cios calamum strinxisset, quo est præditus ingenij acumine, qua industria, qua deniq; iuris peritia, cuius principatum nostro tempore cum uno atq; altero sine controuersia obtinet. Hanc etiam perfrasio-
nem induerat Chemynus, nec animū ad huius opusculi æditionem adijcere poterat, nisi solidis quorundam rationibus conuictus foret, qui ostendebant suam patientiam Stellæ fraudi esse. Sic enim uiriliter quidam causabantur, non defuturum eum sibi fuisse in hac causa, si qua ratione defensionem instruere potuisset:
quum

quum Zazio adeo constanter restiterit. Hac uelut necessitate adductus noster Chemynus, mutauit sententiam, & quod iam fere biennium suppressum uoluerat, ad obterendas istorū calumnias palam explicat. Hoc tamen in primis prospectū uoluit, ne mutilū & corruptū in hominum manus ueniret. Itaq; quū audiret me perfectionem adornare Luteciam, mihi pro ea, quæ illi mecum intercedit, amicitia & consuetudine, partes has demandauit, ut diligenter in eam curam incumberem, ne qui errores irreperent. Suscepi lubēs prouinciam, ea tamen lege, ne aliam q̄ negligentia culpam præstare cogar. Videbor enim hic egregie defunctus officio, si quam ille desiderabat, præstiterim diligentiam. Neq; moleste ferre debet Alciatus, ubi æstimauerit se, primum, iure oppugnari, deinde modeste ac uerecunde, & debita honoris præfatione nō prætermis-
sa. Tantum, opinor, publicis commodis fauet, tantū defert ueritati, ut nolit illi autoritatis suæ prætextu præscribere. Ergo quum intelligat ueritatē in profundo demersam: concedat etiam disputationibus eruendam esse, modo prouideatur, ne nimium altercando ea ipsa quæ quæritur, amittatur ueritas. Hoc obiter dictum uolui, ut eadem opera me & Alciato, & tibi purgarem, quod ue rear ne hominis studio in causam aduersariam sis propensior: & hoc ipsum in crimen trahas, quod non stem ab Alciati partibus. Scio enim quod studiose de eo solitus sis prædicare, de præceptore optimo nimirū gratissimus discipulus. Sed & de Stella, quæ etiā audisti, quàm belle sentias, loquarisq; honorifice, & nuper familiari sermone, & tuis antea multis literis persæpe cognoui, ut iam nullo modo dubitare debeā, quin ad hanc ipsam disputationem nihil præiudicata opinionis sis allaturus. Præsertim quum tibi probe notus sit, qui totam hanc rem suo iudicio defendendam suscepit, Chemynus noster,
homo,

Homo, ut scis, lucubrationum patientissimus, perspicacis ingenij, & quod est in primis egregium, exactissimi iudicij: qui quum sit in literis melioribus ad unguem expolitus, foeliciter nunc uersatur, & antea diuissime uersatus est in legalibus studijs. Quod autem ad praesentem causam attinet, lectoribus liberum esto iudicium, non illis quidem prophanis, sed qui in iuris mysteria paulo altius penetrauerint. Imo uero tu ipse Conane eruditissime, iudica, non unus e populo, sed interioris doctrinae merito, uere illo numero exemptus. Equidem quomodo nunc est, eiusmodi disputationem istam esse arbitror, ut facile & tuum, & cuiusuis synceri lectoris iudicium promereri possit, certe debeat. Vale Parisijs, pridie No. Mar.

Fol. 22. Pag. 1. Li. 25. pro nimis lege minus. Et fol. 24. Pag. 1. Li. 5. impubes.

NICOLAI CHE-
MYNI AVRELIANI AN-
TAPOLOGIA ADVERSUS AVRE-
LII ALBUCII DEFENSIONEM PRO
ANDALCIATO CONTRA D.
PETRUM STELLAM NV-
PER AEDITAM.



VANDO Albuci, quisquis es, pro-
disti praepetoris tui traditiones aduer-
sus excellētis Iuriscōsulti D. Petri Stel-
lae argumenta defensurus, non iniquum
est, opinor, neq; tibi nō placere, neq; Al-
ciato ipsi uiro eruditissimo uideri indig-
num debet, si & ipse ratione nequaquam infirmio-
ri motus, praepetoris itidem mei de me haecenus sem-
per benemeritissimi causam non deferam, illumq; etiā
quantula possum industria, eo animo suscipiam tutan-
dum. Ut si operae quis huius meae poenitendum pre-
cium, & hoc me in negocio nequicq; defudasse aestima-
uerit, animum certe ipsum pia & honesta uolentem, &
exhibitū a discipulo officium, neq; odisse debet, neq;
auerfari. Tametsi committi a me nolim, ut dum gratus
esse, atq; erga praepetorem officiosus affecto, hanc ipse
fabulam ita agam, ut me iniquum in te censorem praes-
stem, & in ueritatem iniurium. Eius enim generis pie-
tate nihil esse magis impium posse, nihil magis pernicio-
sum arbitror. Quo nobis esse duco circumspectius
cauendum, ne praepetorum nostrorum opinionibus
impotenter addicti, obijci quicquam non nisi agro
animo audire possimus, quod ab ijs ullo modo dissen-
tiat, eandem ipsi quo iure, quaq; iniuria nunq; nō defen-
dere

dere paratissimi. Tu enim uides, puto, quantum ea laes
 bes malum in orbem hodie inuexerit. Quantūq; per-
 turbationis ex hac sua omnia quomodocūq; tutandi
 peruicacia in literarū studia irrepserit. Quod eo dili-
 gentius prouidendum est, ne hanc etiam nostram inuas-
 dat disciplinam, q̄ non nunc primum diuersae in eam
 introductae sunt sectae, cum a nobilissimis quondam
 illis, ac maiorum gentium Iurisconsultis Atteio Capi-
 tone, Labeo neq; Antistio institutas: primum dissensio-
 nes Massurius Sabinus, & Nerua pater, ceteriq; por-
 ro eorum discipuli semper, ut Pomponius refert, cum
 successu adaugere perrexerint: Quēadmodum ex res-
 centioribus etiam istis Itali fere omnes priuato hacten-
 nus studio quodam, ac stultis instincti affectibus, idolū
 suum, ita enim uocant, Accursium aduersus quamlibet
 inuicta Cisalpinorum obiecta protegendum ut pluri-
 mum putauerunt. Vnde enatis ingeniorum uexationi-
 bus, abunde elucescit, q̄ hic non ab re praefatum uelim,
 ne altero inuicem imponere alteri, ac tergiversando
 praestringere oculos satagente, ipsi nos seducamus, ac
 felicibus usq; adeo, nihilq; non facile deprehēdentibus
 huius aetatis ingenijs, non ridendos modo, sed detestā-
 dos etiam propinemus. Maiori enim dignus laude non
 mihi tātum, ut arbitror, sed & omnibus ingenij candore
 re praeditis uidebitur, qui, si quando legitimis rationi-
 bus expugnatus fuerit, errorem agnoscere, q̄ cōspicua
 omnibus, ac perinde odiosa pertinacia semel aedita tra-
 ditionē quōcūq; defendere maluerit. Quid enim ma-
 gni est aliquoties in tractandis iuris articulis impigri-
 se? in quo miraculū sit, nō si quis alicubi, sed si nusquā
 lapsus deprehēdatur, quod nemini adhuc unq̄ nō in im-
 plicatissimo solū iuris, totq; opinionū congerie turba-
 tissimo studio, sed nec in quāuis certae doctrinae gene-
 re cōtigit. Neq; enim facile quisquā fidē illius scriptis
 habiturus

habiturus est, quē uidet sui potius ostentandi singulari
 affectu, q̄ deprehendendae simul & docendae ueritatis
 amore excitatū, omnia in emissam semel uocem detor-
 quere, ac nihil nō deprauare, potius q̄ hallucinatū sese
 ingenue agnoscentē, herbam, quod aiunt, porrigerē, ac
 meliora inuenienti gratulari. Nolim uero in eam haec
 accipi partē, quasi nō ferendum censeam, quicūq; re-
 prehensoribus respōdere, eiusq; sententiā patrociniū
 suscipere aduersus eos uelit, quae uera aliquādo sibi ui-
 sa, nunc probanda etiam, accurate omnibus, ac bona fide
 perpenlis uideatur. Neq; enim tam male sanae men-
 tis sum, ut non tot reputem, uel plures etiam temera-
 rios, ac fatuos esse Momos, quot peruicaces obijcere, ac
 calūniosos defensores psis. Sed omneis ipse ex aequo
 monitos, ac persuasos etiā, si fieri posset, optarim, ut cō-
 scientiā utrinq; suam consulentes, recte monētibus, ac
 emēdare sincero animo cupiētibus patientē, ut ait ille,
 aurē in ijs accōmodare nō grauentur, de quibus se uel
 perperā sensisse aliquando, uel falsa scripsisse apud se
 ipsi intelligant rectius praecipientium animaduersione
 doctiores facti. Equidē nec eius sum opinionis, ut im-
 probanda utiq; iudicem huiuscemodī exercitationum
 progymnasmata, & missitatas ultro citroq; de ijs rebus,
 uel Epistolas, uel Apologias, de quibus inter duos, ue-
 ritatis eruēdae gratia, cū inuicē disputetur, nō nisi, ut &
 Alciatus noster recte censet, prouidētior in scribendo
 quisq; ac cautior in posterū reddi potest. Et laudabilis
 illa, amplectendaq; etiā cōscribendarum in alios nota-
 rum consuetudo a ueteribus quondam iuris auctori-
 bus instituta, si a nostris etiamnum doctoribus bona fi-
 de obseruata fuisset, neq; secuta adeo ignania, tamque
 oscitanti incuria in legum interpretatione fuissent uer-
 sati omnes, omne genus quantumuis deploratae insci-
 tia homines, dum acriorum iudicia interpretum, do-
 ctiorumq;

ctiorumque suorum æqualium censuras reformidassent; neque tantis hodie erroribus ius civile dehonestaretur. Proinde, quod in ipso statim libelli tui exordio scire te ais non raro confueuisse Stellam, quum docentis personam pro suggestu sustinet, ab Alciato dissidere, arduasque plerumque controuersias in eum dicendo excitare. Fateor quidem illum nonnunquam dissidere ab Alciato: Sed quid mirum? homo ab homine; neque profecto tam mirandum est, quam auditoribus utile: & Stellæ ipsi necessarium esse, si modo frugi ille, sedulique doctoris personam sustinere uelit, nemo ignorat, cui exploratum sit, quidnam ab eo, qui publico docendi munere fungitur, præstari oporteat: nec ille unquam in Alciatum dicendi captauit occasionem, sed ipsam forte oblatam obiter ut plurimum non repudiat, lubenter alioqui omittitur, si non tam anxie esset, ac laboriosæ diligentia, ut inter docendum nihil prætermisissimum uelit, quod ad loci alicuius prælegendi enarrationem pertinere ille, omneis omnium forulos excutiens, arbitretur: id quod si non accurate præstaret, uigilantioris studij discipulis, qui huic nostræ Academiæ nunquam defunt, minime satisfactum esse existimaretur: & reuera indignaturi essent illi, qui scholas nunquam adeunt, nisi probe antea præmeditatione, ac uersata sollicitate lectione instructi, illius ipsius hac in re consilio utentes. Sed quod tam arduas ille, quam credi uis, in Alciatum controuersias excitet, mirum, nisi diuines, quorum delatione id ad aures peruenerit tuas. Nam ipse cum integro plus minus sexennio assiduus illius auditor, domesticusque fuerim discipulus, nihil minus, quam tale quippiam in Stella animaduerti uiro, quum in omnes humanissimo, tum in hos etiam principatum hac ætate in iuris interpretatione secum tenentes Iurisconsultos tam propenso, ut ipsidem magis uel fauerit nonnunquam, uel detulerit, quam ueritatis inconstanter

constanter depromendæ prærogatiua, & publica ferre utilitas uideretur. Quo magis inuisum illud futurum est, quod libellus tuus personam illi minime decoram, atque eius candore indignissimam attribuens, hocce illum in recentiores refert & docentem, & disputantem plerumque inuehi, eorumque futiles esse sententias sæpissime ostendere. Nam non est in hoc ordine quisquam alicuius nominis, qui se uel uerbis contumeliosis ab eo proficillum audire, uel scriptis legere suggillatum potuerit, nisi seditiosorum susurrorum uanitate acta sint omnia. Imo tu uides quãtam ille in Zasium dicendi materiam habens, quanta cum æquanimitate responderit. Scis enim, opinor, agitatae inter eos controuersiae argumentum, agnoscis uter alteri cedere debeat, & quod non iustam dogmatis sui porro defendendi causam Zasius habuerit. Et tamẽ dum replicat Stella, potiorẽ esse suam sententiam, argumentis demonstrare efficacissimis satis habens, magis benigne docet, quam contumeliose usquam, aut petulanter inuehat. Neque ille unquam Zasius ea in re mentionem fuerat factururus, nisi absoluta iam disputatione sua, missi illi a quibusdam fuissent priores Zasio ipsius commentarij, in quibus quoniam nonnihil de sui, debiteque repetitiõis aduersus Budeum perstrinxerat, non uisa est permultis non attingenda illius annotatio. Quæ se omnia satis ex illius scriptis produnt, in quibus quidẽ ipsis ut nullius unquam ex recentioribus nisi honorificam fecit mentionem, ita nec Alciato magis quicquam, quod ad iuris peritiã spectat, attribueret potuisset, quam ut diligentissimum eum, atque in iuris Theorij & subtilitatibus ualde exercitatum pronunciasset. Neque eundem ille in scholasticas etiam disputationes nonnunquam productum, cum minore reuerentiã præfatione tractare solet. Ut ea in re agenda non sit, quod amplius Alciatus ipse, aut ciuilius desyderet, quum ue-

ritatem nemine non chariorem omnibus præferendam esse rectissime censes, sese propterea, sicubi forte corrigatur, non commotum iri protestatur: si modo comiter id modestèq; nec absq; ratione fiat. Sed quid ais Albucii? Fuites quidem recentiorum sententias sæpissime a Stella ostendi, sed citra antisophisten? An is citra antisophisten in alium dicere uideri potest, qui quicquid dicat, non nisi loco publico, palam, ac medijs ipsis scholis frequentissimo semper auditorio refertis ingenue asserit, milleq; plus minus discipulorum iudicijs ita proponit, ut quæq; ille sua postea dogmata impugnare uolentem, non tantum ab sese non repellat, sed ad id prouocet etiam, ac benignissime alliciat? Qui ea, inquam, ipse, quibus ab alijs dissideere potissimum solet, in eas frequentissime reijcit solenes huic gymnasio concertationes, in quibus simul cum tota scholasticorum caterua, non omnes modo alij doctores illius in prælegendi munere collegæ: sed ceteri etiam ex iudiciario utroq; foro adesse, siue iudices, siue honestissimi quicq; ac doctissimi aduocati, non aliam ob causam cõsueuerat, q̃ ut propositiones aliquot ante diebus in Urbis cõpitis, locorūq; uulgatorum portis adfixas, si quibus possint rationibus confutent, atq; explodant. Nec satis scio, quidnam hac tibi antisophistes mentione uelis, nisi huc toties ex Auenionensi academia euocandum fuisse Alciatum censes, quoties Stella in aliquam illius sententiã esset inquisiturus. Verum non ita Alciatus erga alios a se uellicatos huius etiã ætatis homines se gessit, quorum tamẽ cõsiliũ non est, ullos in eum commemoratione excitare: Sed late re neminẽ uelim, q̃ non iure obijcias, inglorium Stellæ futurum, absentem, & indicta causa damnare, qui ipse non tantum in tuo dialogo absentes damnas: sed suo etiã ipsorum ore sese abs te superatos fateri cogis. Cæterum, tu uelles fortasse, uerbisq; etiam tuis significas,

nihil

nihil ab illo in Alciatum, aut alium quæquã dici oportuisse, quin idem publice ita æderet, ut in taxati ipsius, ac postea etiamnum, si uideret, responsuri manus peruenire non nequiret. Utinam Albuci persuadere istud D. Stellæ possis, ut in animum ipse sibi induceret publicare quicquid præclare ab illo in uniuersi pene iuris elucidationem, incredibilemque studiosorum utilitatem non minore ingenio, q̃ doctrina, & hætenus est animaduersum, & indices porro annotatur in prælectionibus publicis. Tum enim ipse fatereris summum te operæ præcium fecisse, ac nobis simul esse gratulandum iudicares, quibus hoc in Aurelianensi gymnasio talẽ, Christi beneficio, præceptorem habere contigerit, in quo cornicum oculos, ut dicitur, subtilissime, siquãdo opus est, configente, perspicax admiratus peritissimūq; iuris ingenium, nihil eandem desiderares, nihil modestiã. At homini tot dignitatibus auctorato, tot munerum oneribus, ac negocijs districto, ut uix respirare illi, sicut est in Prouerbio, per infinitas alias alijs succedentes occupationes liceat, quomodo omneis tanto tẽpore dictatas prælectiones, ita de integro percurrere uacet, ut si quis est in rebus error, emedetur, & quæ paucis ob eo uerbis suggerendæ tantum memoriã causa notata sunt, explicatiore, dilucidiorèq; oratione cõscribant. Sed prodibit Albuci, prodibit, & ingenue sese prope diem, ac citius etiam fortasse proferet, q̃ sit e re eorum futurum, qui nihil ferre possunt quantumcunq; ueritati consentaneum, quod ab eorum sententijs discrepet. Quanquam illud metuendum, ne tu illi sui forte producendi animum incusso illinc pudore adimas, quod longis eum tibijs canere obiectes, quod in te nunc quàm quadrare appositius posset, tu uideris, an non ostendero, ubi itidem tibi quod intristi erit excludendum, ut tua uicissim agnoscas dicteria, quibus

tota

tota tua scetet defensio. Et hic tu diserte Mercuri, hominem tuo arbitrio quæ tu uis loquentem, agnosce re facis non multum se in eloquentiæ studijs profecisse. Equidem Stellam ipsum, quæ summa est eius modestia, non dubito, si sermonem ipse de se suo non uicario ore instituisse, longe etiam de se, suæque eloquentia humiliter fuisse, atque abiecius pronunciatum. Quandoquidem seduli ille, fidelisque doctoris nomine contentus, eloquentiæ titulum non ambit. Conquesti sunt, scio, antea per multi, & fortunam suam, simul & sæculorum infelicitatē deplorauerunt, quibus bonas artes, hancque potissimum nostram disciplinam eloquentiæ decore illustrari non licebat. Sed est & hodie, quod florescente dicendi uenustate conqueramur quosdam delitijs humanarum literarum delibatos, illius studio adeo usque teneri, ut præ ea una sordescere pene illis seueriores omnes disciplinæ uideantur, has carptim tantum, simul & contemptim delibatas illi subseruire, & ueluti accessorium quiddam dispensatione, præpostera subesse ita cogentibus, ut fucatas suas, & orationis lenocinijs phaleratas nugas quamlibet ueris, sed uulgato, simplici modo emisissis opinionibus præferri, ac pluris fieri debere arbitrentur. Sed alio phaleras. Recte Euripides simplicem ueritatis esse orationem dixit. Et nos ex Venuleij Iurisconsulti sententia, de rebus, non uerbis anxij, minime aures uerborum tinnitu nobis demulceri, sed instrui disciplinæ animum percupimus; quas si infantissima omnium uerna nullo etiam idiomate, sed notis tantum aliquibus docere, aut signis posset, quis non lubentissime sit acceptaturus? Vere quidem Horatius. Omne, inquit, tulit punctum, qui miscuit utile dulci: Sed non minus uere Paulus Apostolus gratiarum diuisiones esse dixit, & Vergilius, non omnia posse omnes. Suum quisque talentum habet sibi a domino concessum.

In logoda
dalos.

concessum. Qui ab uniuscuiusque industria sumi usus potest, in nostram uertendus est utilitatem, ut tamen interim adhortari uniuersos non desinamus, ut eloquentiam cum bonis artibus conciliare ita studeant, alij ne iudicium habentes nullis mansuetioribus literis acutum, atque confirmatum, sint in discernendis rebus, ut uulgo euenit, hebetiores; alij ne solius dictionis præsidij freti, temere se ad scribendum appellant, ac de rebus sibi non cognitis audeant iudicare, ijs ob sermonis rusticitatem contemptis, sine quorum tamē adminiculo emergere, & exploratas utique habere doctrinas non possumus. Hæc Aluci ita accipias, ut non in perstringendum unum aliquem contorta, sed in admonendum bona fide uniuersum scripturientium ordinem dicta existimes, ne a quoquam quis omnia requirat. Quamquam non uideo, unde tu Stellam arguas ineloquentem, qui se præfatus est pauculas illas disputationes, non nisi scholastico conscriptas stylo, & ut e suggesto dictatæ fuerant, inuulgari permisisse, illic minime, siquam habet, exerere affectans eloquentiam. Quemadmodum ab Alciato quoque ipso in ijs commentarijs factum est, quos in stipulationum tractatum ædidit, debuisti potius coniecturam ex ijs facere, in quibus ille dixit aliquanto disertius, ubi si nec eloquens tibi uideatur, nec tu ipse tibi meo iudicio, nec Alciatus debet uideri, nisi uobis Suffeni estis, uehemetioresque facultatum uestrarum æstimatores. De Alciati eloquentia meum non est, neque mei similitum censere, sed hoc scio, de ea qualia sint doctissimorum quorundam hominum iudicia, quaque se magnifice de eadem sentire Erasmus in Ciceroniano declarat. Vide nunc uero Aluci, quum tu tantam infumis operam, ut Alcium ab ea purges tacitæ cuiusdam præuaricationis nota, qua per Stellam aspergi tuus significat libellus, quam in debellandis, quæ tu fingis

C monstris

monstris frustra labores. Vnde enim tā sinistre conij-
cis Alciatum ea in re a Stella notari? qui hoc dixit tan-
tum: Alciatum, nulla Budæi mētionē facta, illius sequi
interpretationem. Is simpliciter quod uerissimum est,
atq; admonendi solū gratia, iccirco commemorat, quod
auditorum referre existimaret, ut non nescirent, an eā
interpretationem Alciatus ut a se primum excogita-
tam dijudicādam proponeret, an ut ex Budæo, aut alio
quopiam ortam, suoq; subinde probandam calculo re-
citar et. Et hoc quum facit Stella, nullo quicquam odio-
sum reddit taxationis fermento, nullis Alciati culpam,
si qua est, exaggerat uerbis, quod tamen abunde sug-
gererat occasio, nisi sui semper similis, nullum lædere
uoluisset. Hæc cum ita sint, quam nō suo loco tanta hic
tibi de Alciati erga Budæum obseruantia prædican-
tur: q̄ importune exclamas: Quid ibi, inquis, eum
Alciatus in cœlum ferret, quod libellum pro supplica-
tione interpretaretur? quod & Accursiū, quod tu opti-
me nosti, non latuerit hæc significatio. Quis exegit o
Albuci, ut eo loco Alciatus Budæum laudando in cœ-
lum ferret? Et quandoquidem locum hūc sine inqui-
sitione transmitti non sustinuiſti, scias uelim non simpli-
citer hoc in negotio quæri, quid in uniuersum signifi-
cet libellus, quo nemo antea nesciebat supplicationem
aliquando significari. Sed agitata hoc loco inter docto-
res controuersia status est, quid hic significet, cū uox
sit æquiuoca, quæ uarie usurpari, & in iure, & alibi so-
let. Neq; circa quicquam aliud, uarijs hic suis, ac multi-
plicibus expositionibus Accursius immorat, qui alio-
qui non ignorabat libellum pro supplicatione nonnū-
quā in iure accipi: sed hic ita accipi, uel posse, uel de-
bere haud tum illi succurrebat, ut nec alij postea ante
Budæum animaduertunt. Quod sedulo ille, ac docte
quū annotauerit, nondūq; illic doctores omneis distor-
quentem

quentē eo facto amolitus sit, quid est, qd̄ *μισμώτερον*, atq; arcanū magis in responsi illius expositionem ab illo re-
ferri desiderasses? Quidnam etiam quæso, ab Alciato
maius in eum locum productum est, aut plausibilius?
Nam ille præter Budæū differens, quid decretum si-
gnificet, non aliud docet, q̄ cōmunis antea opinio sem-
per tenuerat. Quod ueluti nouā quandam, ac pene ora-
cularē animaduersionē, quis unq̄ inter paradoxa succē-
turiandum fuisse iudicauerit, cū præsertim intantū no-
uum nō sit, ut iam amplius a nullo dubitari, quin ita ac-
cipiendum illic esset decretum, Iason ostenderit. His
ita se habentibus, an non frustra Budæus de decreto
quicq̄ tradidisset? qui merito me Hercule satis habuit
super eo modo admonere, circa quē totam respōsi dif-
ficultatē consistere, & de quo solo inter doctores am-
bigi, erat in confesso. Sed qui *μισμώτερον* aliquid a cæ-
teris exigis, cedo, quid in hanc rem *ἠδυσότερον* nobis
Alciatus in suis peperit paradoxis? Quid habet, quod
non acceperit? Quod enim ille de decreto scribit, ex
doctorum omnium commentarijs transcripsit: Quod
dixit de libello, Budæo debet: & in uniuersum quic-
quid hic sibi ascribere conatus est, Fulgosio acceptum
referri oportuit, qui antea in enarratione sua, locū hūc
intelligi posse admonuerat secundum exempla. l. in mi-
norū. c. de præd. mino. & l. excusare. ff. de excusa. tut.
quod quid erat aliud, q̄ Alciatina huic interpretationi
fenestrā aperire, uel eandē potius totā utiq; explicare?
Atqui si Fulgosij cōmētariū tū minime habebat Alcia-
tus, unde defumere illud potuisset: Iason id refert, quē
haud est uerisimile, nō hic esse ab Alciato plectū. Ego
ista Albuci, quæ cōmemorādi ansam p̄buiſti, non ideo
obtrudo, ut Alciatum ulla in re suggillē, cuius gloriæ
non nisi faueri per omnia uelim: sed ut calūniā depellā
a Stella, qua tu illū tanquā disidij auctorem insimulare

prolixa, eademque importuna oratione in eo loco uolui-
sti, in quo ille nihil minus habuit in uotis. Proinde si-
quid Alciatus in loci huius interpretationem aliunde
acceptis de suo adiecit, eae sunt tantum, quas de subscri-
ptione, ac summaria cognitione factas distinctiones ta-
libus Stella noster fundamentis subuertit, ut responde-
re in Apologia tua usque adeo nihil potueris, quod ad
rhombum facere illi uideatur, ut uniuersae Alciati cau-
sae nocuisse te potius in toto dialogi tui argumento, quam
eam usquam confirmasse existimet. Hinc ubi Maijs Cas-
lensis per Academiae huius Bibliopolas Lugduno huc
allatus esset tuus libellus, atque actum, ut sit, quum quid
nouum alicunde affertur, eadem de re inter plerosque ex
scholasticis paulo in iure exercitiores sermo excita-
retur, euenit, ut, me id cum alijs aliquot faciente, Stella
ipse in nostrum forte confessum adueniens, accepto ex
cuiusdam manibus tuo libello, bonaque eorum parte per-
lecta, quae pertinere illic ad se uiderentur, alijs, quae tu
nobis de negotio hoc differuit, illud etiamnum addide-
rit, ad tui libelli argumenta nihil sibi necesse esse respon-
dere, quod ipsa se ostendant. Et profecto meum est iudicium,
nemini non euidentem esse illius animaduersiones aduersus
Alciatum aeditas, non nisi uerissimas posthac iudicatum
iri, quum tu eas tam eruditus tanto conatu euertendas
frustra susceperis. Neque enim hic interim expromere
mihi est animus, fidem ne ijs habere mihi imperarim, qui
nihil sese habere exploratius permul-
tis productis argumentis uulgo iactant, quam non alium esse
libelli huius Aurelij Albucij titulo emissi auctorem, quam
Alciatum ipsum, ac ficto nomine hanc agi fabulam, hoc
non coelabo, Patroclum te, quisquis es, non alijs, quam ipse
simis Achillis tui armis instructum, in hanc prodire aciem.
Imo illum ipsum. Sed praestat silere. Quod scio, nescio.
Illud tibi metuendum, ne quod est apud Ouidium. Me-
naeiam

naeiam falsis cecidisse sub armis, in te tandem dici
possit. Quamuis autem quod superius commemoravi
causari Stellam, ne ille tibi rescriberet, dimouere per-
aeque me ab huius rei retractatione, & potuerit, & de-
buerit fortassis; quoniam tamen ea mihi inquisitio affi-
nis huic negotio uideretur, qua quari in iure solet,
quid sit bonorum possessio decretalis, cuius memini-
sti, quomodoque ea ab edictali differat, quod contra uul-
gatam interpretum nostrorum traditionem ex Ger-
mana Iuriconsultorum intentione intelligendum mea
quidem sententia deprehendissem, quo explicandi ea
de re animi mei occasio acciperetur, hunc & ipse labo-
rem non agre admodum suscepi. neque enim pertracta-
ri alioqui poterat assumptus ille ex professo in disputa-
tionem articulus, quin pro fundamento praemitteretur,
quando in bona possessione danda necessaria fuerit de-
creti interpositio. Quae res inter Stellam atque Alciatum
controversiosa, quoniam mihi disputandam sese oblatu-
ra erat: ac mihi propterea, ne quicquam praetermitte-
retur, ea attingenda essent, quae abs te pro Alciato in
eam rem proposita sunt, commodius existimaui futu-
rum, ut qui Stellae ea in parte nihil obesse rationes tuas
coeperam demonstrare, caetera libelli tui ad eundem il-
lum spectantia percurreres, una ipse opera ad omnia si-
mul responderem, quibus tu deteriorem illius causam
reddere in libello tuo conatus es. Quae quoniam nec
tam fortia, nec tanti esse momenti duxerim, ut ea con-
teri, uel coniurata multorum opera oportuerit, uel ru-
dis, qualis ego sum, tyronis industria non potuerint, ascis-
cere mihi Theseum, aut Achillis arma mutuo rogare
non sum dignatus, laudem inde mihi, seu uituperationem
imputari totam non recusans. Caeterum, ut rem tandem
ipsam, quod foelix faustumque sit, attingamus, ab eo nego-
cij huius capite exordiemur, propter quod hanc mi-

hi susceptam esse personam diximus.

Alciaus lib. 2. paradox. cap. 13. opinionem sequens a ueterum quibusdam prius excogitatam, & ab Accursio in. l. fi. §. nos autem. c. de curat. fur. relatum in bo. poss. adipiscenda esse, & hodie quoque opus decreto scripsit. Id Stella non admittit: potiore esse iudicans communem sententiam, quam euidenter probari in. l. penul. & fi. c. qui admit. in. d. §. nos itaque, in. §. fi. insti. de bo. poss. & euinci irrefutabilibus quibusdam alijs argumentis contendit. Quorum tu omnium, ceteris intactis, unum tantum satagens diluere Alciani sententiam, ais non difficulter ab argumento ex. d. §. fi. deducto, defendi: quia dum Iustinianus eo in loco sufficere quoquo modo bo. possessionem admittentis iudicium dixit, solū exponit, quid is cui bo. possessio defertur, quum eam petit, agere debeat: & ut ex parte ipsius petitio illa solennis sublata sit. Quid uero agendum a iudice sit interponere ne is decretū debeat, an id minus, in ueteris iuris obseruatione relictum uidetur. Haecenus tu, sed audi nūc cōtra. Quum nominatim in præallegatis locis exprimat bo. possessionis petitionem, uelut in nihil necessariā ita sublata esse, ut hodie, exclusis inanum uerborum captionibus, satis sit, si apud iudicem quemlibet qualiscunq; testatio amplectendæ, seu admittendæ hæreditatis ostendatur, an non inde, ut argutissime D. Stella ostendit, necessario consequens est nullas utiq; in hac re iudicis partes requiri, modo apud acta cōstet factam solo partis arbitrio in præsentia iudicis agnitionem, ut iudex huiusmodi, neq; per decretum, neq; alias expedire id dici possit, in quo ille usq; adeo nihil potest, ut non ille, sed pars in illius præsentia omnia expediat. Vnde recte Bartolus in. l. 3. §. causa cognita. de bo. poss. sufficit, inquit, hodie, quod quis agnoscat bo. posses. sine libello, quoniam is nihil petit a iudice,

iudice, uel a parte. Inepte igitur quis, atq; inconsiderater iudicis decretum requirat, ubi probatur nullas esse illius partes. Et uideate, ne uobis parum hic constare uideamini, qui quum alibi dicatis decretum, non nisi in ijs posse negocijs interponi, in quibus supplex iudici offertur libellus; hic tamen unde sublatum fatemini huiusmodi libellum, decretum interuenire posse defenditis. Quod interponere ne hic iudex debeat, an nō, quū Constantiana id constitutione satis significatum sit, qua minime necesse esse demonstratur quicquā ab illo hac in re agi, non est quod in ueteris iuris obseruatione relictum tanq̄ recentiore, nequaquā declaratum teneas. Sed age, sit ita, ut asseris, in ueteris iuris obseruatione relictum. Ergo nec hodie necessariū est decretū, quē admodum nec olim ueteri iure exigebatur. Ego enim, ut scias, uolo defendere, nec ullo unquam iure necesse fuisse ordinarias bo. possessiones, de quibus in. §. aliā. insti. de bo. pos. cum decreti interpositione a prætore dari. Quāq̄ insigni interpretū omniū errore, secus existimatum ideo fuerit, quod, ut ingenue loquar, ignorarēt omnes, quæ esset bo. possessio, quam decretalem appellant Iurisconsulti, quomodoq; ea ab edictali differret. Quam rem hic obiter tractare non existimaui a proposito alienum, quo hic ueritas tandem elucescat, ac decidi etiam facilius possit controuersa isthæc inter uos disputatio.

¶ Imprimis bo. possessionū constat, alias edictales, alias decretales dici. De edictali, Ulpianus in. l. 1. §. sed etsi. ff. si tab. testamenti nullæ extabunt. non impedit, inquit, bo. pos. edictalē Carboniana bo. possess. De decretali est. text. in. l. 1. uers. decretalis. ff. de succes. edicto. Decretalē autē, quicquid alij senserint, eam esse intelligo, quam simplex possidendi factum cōcernentem, nō nisi causa cognita, prætor cum decreti interpositione dare

De edictali

dare poterat, quod probatur in d. l. 3. §. si causa cognita. de bo. pos. l. 1. §. si ea, quæ in possessione. de uentre in poss. mittendo. l. Carbonianum. §. causæ cognitio. de Carb. edict. l. 2. §. dies. quis ord. in bo. pos. seruetur. l. 2. §. si quis ex liberis. ad tert. & in d. §. nos itaq;. Porro edictalis etsi peti antea iure digestorū debebat, de plano tamen peti eam, simul & de plano indulgeri satis erat sine ulla decreti interpositione: imo uero ne peti quidem nōnumq̄ oportebat, cum & absentī dari possit. l. seruus. de bo. pos. maxime, ut in l. seruus, dicit, quū de acceptantium cōditiōe certus esset prætor, neq; de quoq̄ dubitaret, aut ubi nemo contēderat. l. 1. §. si quis prima. de uent. in poss. mittendo. Tum enim quoniam petentibus prætoris de causa cognoscētis decreto opus non est, dicitur ijs sufficere perpetuum prætorij iuris edictum, quo omnibus generaliter in eo comprehēsis personis, eo ipso q̄ proximæ sint, delata est bo. pos. p̄batur per collationē d. §. si quis prima. cū. l. 1. §. uocantur. de bo. pos. cont. tab. & similibus. Eo fit, ut sicuti dictum est, bo. possessiones huiusmodi edictales ideo dicantur, quia simpliciter ex edicto peti eas, dariq; scribat in. l. 3. §. a municipibus. de bo. pos. l. 1. §. quibus edicto. de succes. edicto. per solius enim successorij edicti uim, ijs quos per illud prætor ad bo. pos. uocat, deferri ea dicitur in d. l. 1. in princī. de succes. edicto, ubi de ijs qui edicto uocati sunt, loquens Vlpianus: Bene igitur, inquit, prætor putauit præstituerē tempus ijs, quibus bonorum possessionem detulit. Idemq; ipsum infinitis fere alijs iuris locis probari potest: ut. l. 1. §. recte. si tabulæ testamenti nullæ extab. ubi innuitur nihil differre, utro modo dicamus, prætor edicto Titium ad bo. possessionem uocat: An, prætor Titio bo. possessionem defert. Quod etiam euidentis est ex. l. 1. §. sed uisendum. de succes. edicto, quo ostēditur nihil differre

utrum

utrum in partibus edicti dicatur. Vnde liberis deferatur: An, unde liberi uocantur. Item quibus edicto contra tab. deferre dicitur prætor in. d. §. recte, ijsdem ad illam uocari dicuntur, in. d. §. uocantur. Similiter quo sensu uocari quis ad secundum tab. in. d. §. recte, eodē & illa deferri dicitur, in. l. 2. §. si seruus. de secundū tab. Sed personæ omnes successorio edicto comprehensa dicuntur a prætore ad bo. possessionem successionē uocari. §. quos autē solus uocat prætor. instit. de bo. poss. iam cū decretalis, quæ, ut uisum est, ea appellatur, quæ decreto interposito a prætore decerni oportet, nondum delata dicitur, nisi postq̄ decreta est. l. 1. uers. decretalis. ff. de succes. edicto, Consequens est, q̄ supradictas omnes ordinarias bonorum possessiones cum decreto dari nunq̄ opus fuerit, quandoquidem delationis effectum, qui tūc ex decreto producit, satis, ut conuictū est, absq; eius interpositione sola successorij edicti efficaciam assequantur ijs, qui ad edictales uocati sunt. Quæ obrem in. d. §. qui semel, & d. §. ex edicto, differentia inter edictalē & decretalē ita constituitur, ut edictalis, cum sola scripti edicti uis iam delata sit, possit repudiari, ut etiam probatur in. §. penult. instit. de bo. pos. Decretalis uero ante decreti interpositionē, quoniā nondum delata est, repudiari nō possit. Proinde ex optimo textu. §. qui semel, euidentissimum esse nemo negabit ineptissime cū Bartolo sensisse cæteros doctores, quū edictalem a decretali ita differre existimauerūt, ut edictalis ea sit, ex qua in omni bo. possessionis specie cōpetit ius petendi decretalē. Decretalis uero, ex qua habetur bo. possessoria hæreditatis petitio. Quæ traditio ex Accursio nata in. d. §. Nos itaq; uideamus q̄ falsa sit, & textui aduersans. d. §. qui semel. Nā si omnis bo. possessio, anteq̄ interposito decreto decretalis sit, ea esset quæ edictalis in iure appellatur, repudiari tūc ideo

D

posset,

posset, quoniam generaliter constituitur edictalē posse repudiari. Et tamen decretalis nondum decreta, non potest repudiari. Ergo ante decreti interpositionem, eam esse, quae dicitur edictalis, falsissimum est. Quinimo semper, siue ante, siue post decreti interpositionem, ea dicitur decretalis, quae cum decreto dari debet: cum decretalis ideo dicatur, quia debet cum decreto dari, non quia iam decreta est. Eam enim quae nondum sit decreta, decretalē appellat Vlpianus in d. §. qui semel. quod ego admiror non esse ab interpretibus animaduersum: a quibus foedissime etiam tum erratum est, quum dixerunt decretalem esse, ex qua habetur bonorum possessoria haereditatis petitio. De carboniana enim bonorum possessione, quam sine dubio decretalē esse inferius ostendimus, loquens Vlpianus in l. 3. §. missum. §. de carb. edicto. Missum autē, inquit, ex carboniano edicto in possessionem student praetores possessorem constituere. Quae si coeperit, aut hereditatem petere, quasi bonorum possessor Carbonianus, aut singulas res: rectissime Iulianus lib. 33 Digestorum, scribit exceptione eum summouendum: contentus enim esse debet hac praerogatiua, quod possessorem eum praetor tantisper constituit: Haec Vlpianus. Cuius autoritate ut contra interpretum hallucinationem manifestissimum est, decretalē minime efficacem esse ad petendam haereditatem: ita ipsae, quae paulo superius tradita sunt, satis ostenditur, abunde per se efficacem esse sine decretali edictalē. In qua tamē nondum agnita, proximo nullū ius ideo competere recte a Cyprino animaduersum est in l. fi. c. unde legit. quoniam edictum, ut diximus, solum defert proximo, non acquirit: deferre porro successione nihil aliud est, quam eius per agnitionem, aut alio modo acquirendae facultatem tribuere, ut probatur ex l. delata. ff. de uerb. signific. Bonorum igitur possessiones ordinarias omnes et si edictū deferat

deferat proximis, si tamen in illis ius aliquot, puta bonorum possessoria haereditatis petitionē acquirere uolebant, peti eas oportere iure digestorum statuebatur. Verum quod dari eae omnes cum decreto, unde decretales dicerentur, interpositione antea eodem iure debuerint, ego non concedam: etiam si ita haecenus tenuerint, quicumque hac de re scripserunt. Tantum abest, ut Alciato subscribendum in eo paradoxo existimē, quo is generaliter tenet hodie quoque in bonorum possessione adipiscenda, necessariū esse decretū. Quinimo hanc ego regulā confidentissime assero: Petitaē edictalis bonorum possessionis dationē etiam ante Constantini tempora, per solum libellū, ac de plano expediri semper solitā fuisse: Si enim quae edictales dicuntur, aliae sint, quam decretales, apparet non esse necessarium in edictalium datione decretum, a cuius interpositione cum nomen accipiant decretales, illae itidem, si decretum exigent, decretales ab eo dicerentur, quas edictales appellatas Iurisconsultus a decretalibus non alia consideratione discriminat in d. §. qui semel, quā quod haec non sine decreto praetoris acquiri, illae uero petitaē de plano dari possint, secundum quod obaudiendum debet quae fit de bonorum possessionibus cum decreto, uel de plano concedendis distinctio. in d. §. causa cognita. & d. §. dies. Atqui nouae huius nostrae, sed perinde uerae doctrinae non aduersatur. l. i. c. communia, de successio. ubi quum dicitur bono. possessionem solenniter petendam esse, non intelligendum Imperatorem illic de decreto solenni sentire, sed de petitione simplicis, quae tametsi solennis tum esset, atque necessaria, hodie tamen per Constantinum sublata est: qui intellectus corroboratur per l. penulti. & fi. c. qui admit. ad bono. possessio. possunt. & d. §. nos autem, ubi dicitur petitionem sublatam fuisse, non decretū.

D ij Quēadmodum

Intellectus
l. i. c. cōia.
de successio

Quēadmodū & in. d. § .nos itaq; ubi Iustinianus agnoscere satis esse ostēdens. Quum petitio, inquit, bo. possessionis Constantiana lege sublata sit, & ab eo introducta observatio, quæ pro antiqua sufficit petitione, & in Theodosij, & Valentiani, qui multo post Antoninū tempore imperarunt, constitutione quadam Theodosiani Codicis, tit. de Cretione uel bo. possessione, ubi illi: Quum legitima, inquit, successio nō modo in matre est, uerum etiā in successoribus longius constitutis, nō bo. possessionis petitionē, nō cretionis solēnitatem cogitur custodire, qualicunq; contēta adita uel adēdæ hæreditatis inditio, quanto magis pater talibus est uinculis exuendus? Quibus omnibus locis appar et hodie satis esse ut bo. possessio, quæ olim peti debebat a prætore, coram illo agnoscat, & per consequēs petitionē tantum in edictalibus, per illos textus esse sublatam, nō autē decretum, quod in ijs numq̄ requisitum est. Nihil magis uerbis illis obstat. d. § .nos itaq; quibus Iustinianus. Curatori autē, inquit, furiosi licētiam damus: imo magis necessitatē imponimus, si utilē eius successione aestimauerit, eam bo. possessionē agnoscere, quæ ante ex decreto dabatur. &c. Ostendit, inquit, doctores, locus ille ante Constantini tempora bo. possessiones ex decreto dari solitas. Verum ut resoluti nodus, planeq; in apertum produci hæc materia possit, præmittēdum est, quæ bo. poss. illæ sint, quas ex decreto dari, ac per consequēs decretales esse existimare debeamus. Nam textus ille non de edictali: sed de alia extraordinaria bo. possessione intelligendus est, quæ quoniam furioso non nisi cum decreto dari poterat, uti etiam Alciatus fatetur, decretalem esse secundum supradicta constitēdum est. Quod ostendit textus in. l. i. § .furiosi. de success. edicto, ubi Vlpianus. Furiosi, inquit, curator nequaquam poterit repudiare, quia necdum delata est: decretalis

Intellectus
§. nos autē
in. l. fi. C. de
cur. furio.

De bo. poss.
sessione fu-
riose.

decretalis enim, ut ibidem paulo post subiicitur, nōdum delata est, nisi cum fuerit decreta. probatur & in. l. 2. § .igitur & si furioso decreto petita sit bo. possessio. j. ad Tertul. Vnde ita intelligi debet quod Iustinianus ait, ante ex decreto hanc bonorum possessionem furioso dari solitam. Quæ ideo ex decretalibus una erat, quoniam non sola edictalis ordinis uis, sed necessaria decreti interpositione deferenda, ius non erat retinēdi, persequendiq; patrimonij, quod morientis fuerat, ut est in definitione bo. possessionis. l. 1. § .bonorū. j. de bo. poss. sed potius simplex quædam, & non nisi facti possessio per d. § .missum, in quam percipiendorum interim fructuum causa ij mittuntur, quibus illuc usq; decreta est, donec exemptū fuerit atq; extinctum interueniens obstaculum, quod nunc impedit, quominus edictalis ab ijs peti, aut iisdem a prætore dari debeat. Obstacula autem eiusmodi esse possunt, furor, captiuitas, controuersia status, seu uentri, seu iam nato impuberi facta, & si quæ sunt aliæ huius generis causæ, quarum cōtemplatione extraordinarias bo. possessiones eas Iason appellat in. l. fi. C. qui admit. quæ in facto consistētes nullum ius tribuunt. Quare si qui bo. possessionem petiturus est, furiosus sit, decretalem tantum bo. possessionem ei decerni debere. i. cum, aut eius nomine alium simpliciter in possessionem esse mittēdum, donec exuto furore in eam causam deueniat, ut per animi iudicium edictalis agnoscendæ capax esse possit, ex professo nobis traditum est in. d. l. fi. § .nos autem, iuncto. § .tali itaq; ubi euidentissime innuitur eam omnem bo. possessionem quæ antea ex decreto dabatur, proprie bo. possessionem dici non posse, quum de ea illic loquens Imperator. Curatori, inquit, furiosi concedimus eam bo. possessionē agnoscere, quæ ante ex decreto dabatur: & ad similitudinē bo. possessionis habere. &c. Quorsum

Bonorum possessiones facti: & decretales quæ dicitur, & ob quā causam

Item de bo. poss. furiosi.

necessarium fuerat ea uerba adijcere. Et ad similitudinem bo. possessionis habere, si proprie esset, uereq; bo. possessio ea quæ ex decreto dabatur? Et quæ nullum simile idem, uulgo. l. quod Nerua. ff. deposit. nec tamē tanta deprehēditur inter decretalē, & uerā bo. possessionē cognatio, ut illa huic similis dicat; sed tantum ad huius similitudinem haberi, quasi similitudo illa nō, nisi in simplici habēdi facto consistat, quoniā eæ peræque habeant in nullo alio æquata. Vnde cum ueter in hac materia furioso assimiletur in. l. nō est ambigēdū. j. de bo. pos. l. i. uers. tutor, & uers. furiosi. j. de succes. edicto. Eiusmodi etiā bo. possessio furioso decreta illis in. l. 2. §. si quis ex liberis. j. ad Tertu. æquiparatur, quæ uētris nomine, aut impuberis status controuersia patientis per Carbonianum senatusconsult. indulgetur, quas, ut ostendam, nemo inficiatur decretales esse, atq; extraordinarias. Et tamē ibidē uers. sed si infanti, non similis esse dicit ei, quæ infanti per tutorē petiē, quam certum est ob id, quod ex edicto deferat, ac iuris sit, minime dari cum decreto, & semel petitam ad infantis hæredes nihilominus transire, quam cæteras ordinarias. l. infantis. c. qui admit. l. si infanti. c. de iure delib. notat Bartolus in. l. i. j. de bono. possess. furio. & infantis. cum ipsa furiosi bo. possessio non ad ipsius furiosi in furore decedentis, sed ad eius hæredes perueniat, a cuius successione profecta est ipsa bo. possessio, ut est textus in. d. §. si quis ex liberis. uers. igitur & si furioso. Probatur apertius in. d. §. tali itaq; ubi & per decretalis dationem non acquiri, neq; ipsam agnitam dicit bo. possessionē demonstrat Imperator. Itaq; inquit, bono. possessionem sibi decretam, quamdiu durat furor, curatoris manibus tradendam, & sub eius cura custodiendam, quatenus, siquidem resipuerit furiosus, & acquisitionem admiserit, ipsi restituatur. Sin autem in furore

furore diem suum obierit, uel in suam sanitatem perueniens, eam repudiauerit, tunc successio ad substantium referatur, uel ad hæredes ab intestato, qui mortis tempore furiosi propinquiores existant ei, ad cuius bona uocabantur, si non in medio erat furiosus. Hæc Iustinianus, & si non eodem contextu, ipsdem tamen ipsis uerbis scribit. Idemq; est in hæreditate per curatorem agnita. l. hæres furiosi. j. de peti. hæred. Et, ut contrariorum sit eadem disciplina per. l. secundum naturam. j. de reg. iur. sicuti ubi bo. possessio eiusmodi curatorii decreta est, eius acquirere proprietatem non uidetur furiosus per præallegatos textus, ita nec ab eius acquirendæ iure, quamdiu in furore est, excluditur, die interim ei nunquam cedente, ut est textus in. d. l. i. j. de bo. possess. furio. Verum ego frustra fatigor, cum Accursius, Bartolusq; in. d. l. nō est ambigendum. & in. d. l. i. j. de bono. possess. fur. eius naturæ, talemq; esse hanc bo. possessionem non diffiteantur, ut ea, non, nisi facti ad percipiendos interim fructus, non iuris esse ad dominium furioso acquirendum intelligenda sit. Si igitur facti est, si cum decreto datur, si quæ omnia specialiter in uentris, & carboniana bo. possessione insunt, inesse quoq; in hac deprehendantur, si hanc illis esse similē lex, ut uisum est, expresserit; non uideo, quid causæ esse possit, quamobrē non extraordinaria simul & decretalis dici perinde, atq; duæ illæ, mereatur, ut per consequens nihil obstare assertioni nostræ possit. d. §. Nos autem. Hæ enim, & ea, quæ captiuo petitur, omnes, sed solæ decretales, circa denominatur, q; solæ cum decreti interpositione dari iure etiā Digestorū ante Cōstantinū debuerint. In quod præter supradicta apparere etiā abūde inde potest, quod ubicunq; de ipsdem incidit in pandectis tractatus, nihil frequentius offendas, quā uerba hæc; decernere, decretum,

decretum, & causæ cognitio, ut in titu. de uentre in poss. mittendo. in titu. de Carboniano edicto, & similibus superius productis legibus. In alijs autem specialibus cæterarū bo. possessionū titulis nunq̄ harū rerū; sed tantūmodo petēdæ simpliciter, aut petētibus dandæ bo. possessionis mentionem fieri reperias, ut merito, necessarioq; quod in generalibus titulis Digestorum, de bo. possessionibus. & Quis ordo in bo. possessione seruetur, de dandis cū decreto bo. possessionibus obiter traditum est, ad huiusmodi tantum extraordinarias trahi per interpretationem debeat, uti superius etiam admodum nuimus. Et hoc Vlpianus tam euidenter demonstrat, ut nemo quantumuis calūniarius refellere possit, quum ille in. d. titu. de uentre in poss. mittendo. Vbi cūq; inquit, ab intestato uenter admittitur, scilicet, si talis fuerit is, qui in utero est, ut, si ille in rebus humanis esset, bo. poss. petere possit, ut in omnibus partibus edicti p̄ superstitite habeatur is, qui in utero est. Interdum non passim, sed cum causæ cognitione mitti uenter in possessionem debet, si quis sit, qui controuersiam referat. Idem Vlp. in. l. i. de carbo. Si cui, inquit, controuersia referatur; an inter liberos sit, & impubes sit, causa cognita perinde possessio datur, ac si nulla de ea re controuersia esset. Hic te obsecro Albuçi, num his locis aperte nobis Vlpianus exposuit, quæ passim, id est, ut ego interpretor, de plano: & quæ causa cognita cum decreti interpositione dari bo. possessiones debeant, ut excogitari iam nihil, aut adduci aliunde possit, quod officiat, quominus cōstantissime semper posthac persuasum habere debeamus, omnes generaliter bo. possessiones, quæ ex quauis edicti successorij parte competebant, regulariter, ac iure communi passim, de plano, ac sine causæ cognitione ita dari eo etiam tempore solitas, quū nondum emissum erat Constantini rescriptū quo,

Regula quæ
decretū in
bo. poss. sit
interponē-
dum.

quo petēdæ bo. possessionis mos sublatus est, ut tūc solum necessariam fuisse causæ cognitionē, ac interponi decretum debuisse credatur, quum petēti status cōtrouersia ab alio moueretur, ac per consequēs quum de ea esset bo. possessione quæstio, quam decretalē extraordinariam appellamus. Eam enim, ut ex præcedentibus constitit, non, nisi status cōtrouersiam patiētibus, si neq; captiui, neq; furiosi essent, decerni oportebat. Horum ratio est: Cum enim pars aduersa contra bo. possessionem eiusmodi petitores super iisdem controuersiam proferēs sese manifestaret, non decebat leuiter a iudice quicquam, aut de plano in unius commodum statui, quo præiudicari alteri uideretur: Sed auditis utriusq; allegationibus, utri possessionē dari causa cognita, habitoq; de ea re consilio, iustius appareret, dari necessario oportebat. Volūtarium enim Albuçi, quicquid sentias, illic non erat, sed contētosum iudicium, in quo nō sponte iudex, aut de plano, sed causa cognita diffinire debet: Inde uerissimū esse apparet, quod superius probatum est non, nisi ex mota status cōtrouersia, aut ex orto super petētis cōditione dubio, interponēdi in bo. possessionibus decreti causam præstari. Nonne enim uel furiosi, uel captiui, quoniam agnoscere illi iudicij, aut conditionis integritate destituti interim non poterant, ita in simplicem facti bo. possessionē, quidam mittebantur, quemadmodum iure debent, qui in aliarū rerum possessiones mittuntur, in quibus omnibus necessarium est decretum, ut uulgo notum est. Aliæ uero bonorum possessiones, quas edictales appellari docuimus, si libello porrecto petebantur, quoniam in ijs omnia hæc non inerant, ob quæ decretum esset interponēdum, libelli tum postulationi pro suo unius arbitrio sine ulla causæ cognitione subscribēs atq; annuēs iudex, atq; eisdē bo. possessiones de plano indulgēs per libellum,

Edictales
quomodo
dabantur.

lum, ut mihi uideatur, expedire dici poterat. Quādoqui dem, ut ostendimus, ubi de quoq̄ non dubitatur, aut neq̄ mo contēdit, longe facilius bo. possessio haberi potest. d. l. seruus .j. de bo. poss. & d. §. si quis prima uxore, hic autem non est quod de quoquam iudex dubitet, cum ut Alberici, Bartoliciq̄ autoritate ostendit D. Stela, per bo. possessionis dationem aduersariorum, si qui postea exoriantur, ius neq̄ in petitorio lādatur, neq̄ in possessorio: Id quod ego probo per textum ante Constātinī tempora aeditum in. l. filium. §. si quis .j. de legatis præstandis: Qui textus, & si de Carboniana quoq̄, quæ decretalis est, loquatur, alterius tamē præiudicij consyderatio efficit, ne ea temere, aut facile concedatur: de quo in. l. ubicunq̄. uersicu. nec enim æquum est, & l. sequen. .j. de uent. in posses. mit. Atqui decretales huiusmodi duas declaratis superius personis decretas bo. possessiones, facti esse, ac extraordinarias, nec Accursius ipse negat in. l. 1. & l. 3. §. si causa .j. de bo. pos. in. l. cognitio, ubi doct̄ .j. de iurisd. omnium iud. Iason in. l. fi. c. qui admit. Textus in. l. 3. §. hæc autem possessio, & d. §. missum .j. de Carbo. l. 1. & 2. c. eo, titu. de Carbo. d. l. filium. §. si quis. Ea uero, quæ uentri decernebatur, cum ad exemplum Carbonianæ introducta fuerit, ut dicitur in. l. 1. in princi. & §. si ea quæ .j. de uent. in posses. illius sine dubio ius imitatur, quod etiam interpretes dicunt in. l. 2. §. si uenter .j. quis ord. in bo. posses. seruetur. Proinde naturæ huius extraordinariæ, ac decretalem fuisse illam non est dubitandum, quam quis captiui nomine petisset, cum in eadem cæterarum ratio procedat, quibus ubiq̄ æquiparatur, ut in. d. l. non est ambigendum. & l. 3. uersicu. Sed & eius .j. de bo. posses. inter extraordinarias Accursius eam ubiq̄ enumerat, quæ filio emancipato, aut ijs omnibus inofficiosi querelam

Decretales
sunt facti.

Enumerata
decretalia
species.

moturis litis ordinandæ causa dabatur, qui alioqui ipsi iure ciuili incogniti, ad ipsam querelam, quæ iuris est ciuilis, admitti nō potuissēt, de qua textus est in. l. posthumus. §. si. l. sequen. & l. Papinianus. §. 1. ff. de inoff. testamento. l. 2. c. eo. Sed ego præceptorī nostro Stelæ assentiendum esse arbitror, qui nuper in suggesto extraordinariam hanc non esse, neq̄ certam aliquā speciem bo. possessionis defendit: sed litis ordinandæ causa eam peti solere, quæcumq̄ iure competere testamentum, ut inofficiosum, accusaturo possit, eam enim nullum sibi habere particularem titulum, quo tamen cæteræ bo. possessionis species non carent. Alia est bonorum possessionis species, quæ ex legibus, senatusue consultiis dari dicebatur, ut est. ff. ut ex legib. senatusconsultis, & l. 3. unde legit. quam extraordinariam Iustinianus appellat in. §. septima. instit. de bo. pos. Proinde & si uentris, Carbonianam, furiosi, captiui, & eam, quæ a legibus, & senatusconsultis dabatur, extraordinarias omnes esse nō potest dubitari: Postremā tamē minime decretalē esse, quā tradidit nusq̄ cōperit: & iuris non facti fuisse tenēdū cōtra Accursiū arbitror: quē, eiusq̄ sequaces tota, quod aiunt, uia aberrasse inde apparuit, quū ij bonorū possessiones, quæ facti sunt, de plano: cæteras uero cū causæ cognitione dari debere intellexerunt tū alibi, tū in. l. 3. §. si causa .j. de bo. poss. neq̄ enim directius aienti negās, quā hæc illorū traditio ueritati aduersatur. Ex prædictis alius etiā pditur Alciati lapsus ex lib. Paradox. 4. ca. 6. ubi rationē Iasonis quādā cōfutare uolēs, hoc se tuetur argumēto, q̄ bo. possessio nē cū decreto petēdā solo acquiri animo, decreto autē cōfirmari tantū ex Bulgari & Decij sententiā teneat: Si enim quæ supra diximus uera sunt, bo. possessio decretalis tantū abest, ut ante decreti interpositionē solo animo acquisita dici possit, ut ne delata qdē. i. talis sit, quæ

E ij per

per animi agnitionē acquiri ualeat per d. §. qui semel uerf. Decretalis. Neq; obstat, qd' ille deducta ita gradatim ratiocinatione persuadere cōtēdit. Decretū, inquit, est iudicis autoritas; autoritas autē rem solū gestā confirmat: Confirmatio porro ius inductum non facit: Id enim perpetuo uerum non est: Nam quum per primum aut secundum decretum quæ in possessionē mittitur, quid quæso rei gestæ confirmari dices, quum super alienationē rerum minoris interponitur decretū, an non potius permittitur quod gerendum sit in futuro, quā quod factum sit cōfirmatur. Quid in bo. possessione decretali, an quum eam decernit prætor, confirmari dicet ab eo quisquam acquisitionem a petente factam, qui nullo acquirere modo ante decretum potuit. Neq; uerum est simpliciter, quod Alciatus ait confirmationē nouum ius non inducere, quum & si nō faciat, perficit tamē, atq; rem ita absoluit, ut ea nullius alioqui efficacix futura esset, nisi perficeretur, quod etiam doctores in. l. more maiorum. ff. de iurisdic. omnium iud. ostēdunt; idq; potissimum in decreto. Ite uero nūc uos, & affirmare posthac audete, hodie quoq; in bo. possessione adipiscēda opus esse decreto, cuius interpositio nē nisi nullo unquam iure in ueris ac ordinarijs necessariam fuisse superioribus argumētis, uel te iudice, cui cerō; neq; mihi unquam ulla in re fides habeatur. Sed ueritatē agnoscere tandē uideris, qui Alciati sententiā incipis excusare magis q̄ defendere, dum nō affirmare eū scribis decretū esse hodie necessariū: sed uereri se, ne opinio cōmunis non sit uera: imo Albuci affirmat, quū ex argumētis ijs cōsequēs esse utiq; negat sublatū esse decretū, quibus solis sublatū esse doctores pbarūt. Verū, deinde subijcis, Themacia huiusmodi Alciatus disputationis potius causa pposituit, quā quod a celebriore calculo discedendū putaret, quamobrē nō multū est,

¶

¶ Stella aduersus eum labore. Nec est Albuci, quod multum hac in re laborasse Stellam conijcias, cui aliud agentī quum paradoxum hoc nō alienum esse ab enarrando loco uideretur, huiusmodi nō anxie quidē quæsitis, sed sese ingerentibus rationibus admonēdos obiter auditores putauit, ne leuibus se ijs tricis contra ueritatem capi sustinerēt. Sed rogo te Albuci, quid opus erat hæc disputationis causa proponi, ut iuris per se satis molesti studiosis negociū amplius fieret. Inde enim ille nobis fructus existit, ut si quando articulum iuris aliquem uelimus tractare, id, quod non nisi animi gratia Alciatus effudit, magno labore excussum, si non difficili, certe operoso cōfutare negocio oporteat, atq; ad communes demū reuersos opiniones eisdem acquiescere, in quibus libenter ipsi ab initio constitissemus tum temporis iacturam, quod & si breuissimum habemus, talibus tamen remoris prorsus eluditur: tum impensæ in ijs operæ nullum precium auersantes. Et quantumcunq; scribas huiusmodi ab Alciato non proposita esse, ut a celebriore calculo discederetur, non deerit tamen qui impendio in illius fauorem propensior semper habeat, quod causetur: & rem nullo fructu, neq; serio in medium deductam, ita in longam protrahat rixam, ut nugæ tandem seria ducant. Nam tu Albuci uides, opinor, q̄ hac in re sustinenda non habeas, quid respondeas: quāq; rationibus destitutus, atq; argumentis tamen defensor em ingeras quantumuis calumniari malens, q̄ in eius causam nihil dicere, quem tu maiore esse censes fortassis, aut celebriorem, qui in aliquo reprehendi, aut cuiquā cedere debeat. Sed falleris. Quicumq; ita errant, ut non, nisi magno studiosorū malo dissimulari possit, admoneri debēt, ut corrigantur. Si qui præsertim eiusmodi sint, qui ad eam peruaserint existimationem, quæ, si quid proficisci ab ijs quantumuis falsum

E iij contigerit,

contigerit, apud homines non curiosa admodum sagax
 eiq; diligentia præditos: & alienæ simul industriæ,
 ut plerunq; fit, suo in negotio lubentem fidentes ueri
 quondam præsumptionem insigni literarum incommo-
 do facile inducat, & inductam ita ueluti per manus in
 alios aliosq; diffundat, ut ueritate ipsa plurimo, diutur-
 noq; receptæ autoritates fiunt, obsessa deprehendendæ
 eius uia, pertingi amplius non possit.

Iam uero bonis nos auibus ad uerborum in Vlpia-
 ni responso interpretatione, ad quam non nihil con-
 ferent quæ prædicta sunt, accingi oportet: hæc primo
 loco dictionem, Decretum, ita discussuros, ut in reliquis
 postea controuersia huius articulis apologetici tui or-
 dinem obseruemus. Vbi decretum, inquit Vlpianus,
 necessarium est, per libellum id expedire proconsul non
 poterit. Omnia enim, quæcunq; causæ cognitione de-
 syderant, per libellum non possunt expediri. &c. Iaco-
 bus Arenæus decreti appellatione id omne in hoc tex-
 tu comprehendit intellexit, quod expediri a iudice cum
 causæ cognitione debeat. Arenæum secuti sunt Petrus
 Belper. & Cynus, & communiter, ut Iason ait, pene om-
 nes tum antiqui, tum recetiores: quin & ipse Bartolus
 hunc intellectum multum textui conformem, ac Are-
 næum ipsum nemine non melius loquutum fuisse testa-
 tur, & si is a Raynerij præceptoris sui sententia disce-
 dere non sustinuit, qui præfatum huiusmodi intellectu
 primus omnium reprobandum esse admonuerat. Eiq;
 & Bartolo post plerosq; alios astipulatus est Iason, &
 Alciatus lib. paradox. 2. cap. 3. ubi ille locum hunc enar-
 rare uolens. Quare, inquit, ut ipse q; clarissime explicet,
 scire nos oportet, decretum a sententia differre, quod ex
 ea regulariter, aut absolutio sequitur, aut condennatio.
 In decreto solū autoritatē suā iudices interponunt: &
 quod agitur, sibi iustum uideri, pronunciant. Ita Alcia-
 tus

Doctōrū
 sententiæ, de
 interpreta-
 tiōe decreti

tus decretum citra absolutionem, aut condennationem
 interpositum intelligendum esse hoc loco scribit. Nos-
 ter uero ille, & communis præceptor D. Stella Are-
 næi, ac Petri Aureliani itidem doctoris interpretatio-
 nem potiolem esse existimans, eam, quæ Alciati, cre-
 brioreq; alio calculo uerior hætenus iudicata est, reij-
 ciendam iccirco putauit, q; coartari nimium textus hic
 generaliter, atq; indistincte loquens illi uidebatur, si ad
 huiusmodi decreti tantum sine absolutione, ac condenn-
 atione ulla interponendi speciem restringeretur, quum
 ij potissimum nullo iure, nullaq; ratione ita intelligen-
 dum esse probent. Hæc quum nemo nesciat ita sese ha-
 bere, tamen si libello tuo creditur, decretum Alciatus
 simpliciter intellexit, quum iudices autoritatem suam
 interponunt. Itaque Alciatus decretum intellexit Al-
 buci: Ais quidem: Sed si uerum est, ille haud dubie non
 iure a D. Stella est reprehensus tanq; ad unicam decre-
 ti speciem generalia uersiculi huius uerba restringens.
 Nam quæ iudicis expeditio: quæ excogitari ordina-
 tio potest, quæ hac tam late patente decreti diffinitione,
 quam Alciato attribuit tuus libellus, comprehendit ne-
 queat, ac significari: An ullus usquam iudex ad iuris-
 dictionem pertinens quicquam agit, aut agere etiā po-
 test, in quo non illius interponatur autoritas, quod ue-
 illo autore agi negetur: equidem nec tu ipse, opinor,
 fateberis posse. A iudice enim, siue iubeatur faciendum
 aliquid, siue prohibeatur, siue permittatur, siue factum
 aut confirmetur, aut quassetur, id iudicis autoritate om-
 ne fieri, & naturalis ratio suadet, & manifeste, tam græ-
 maticorum traditionibus, q; iurisconsultorū responsis
 conuincitur, ut infructuosus sit labor, si circa id testimo-
 nijs comprobandum quis immoretur. Nam & in senten-
 tijs quoq; diffinitiuis uox iudicis iudicati autoritatem
 continere dicitur in. l. ex stipulatione, c. de sententijs &
 interlo.

Non fidelis,
 sed inepte
 relatā esse
 ab Albucio
 Alciati sen-
 tentiam.

interlo. omnium iud. Ergo & sententiæ decreti appellatione comprehendantur. Quid est igitur ineptius, quod postea subijs, non negare Alciatum generalem decreti significationem esse: sed & specialius id proprie decretum esse, quum iudices autoritatē suam interponūt? Dic mihi Aluci obsecro, si specialiter est decretum, quod diffinis, in quo iudices autoritatē suam interponunt, quam nam mihi aliam decreti speciē proferes, quæ specialior is huius, ut uocas, diffinitionis uerbis non comprehensa, generali illa decreti significatione continebitur, quā tu ab Alciato nō negari ais? Neque enim mihi uidetur hac tua generalior ulla, aut latius in omnes quomocumque expeditas, omnifue generis iudicum ordinationes patēs diffinitio uerbo huic, quo de agitur, accommodari potuisse: Quam quidem tuam diffinitionem tantum abest, ut quisquam tanquam specialiore reprehendere debuerit, ut nullum aliud ob uitium e medio explodendam esse arbitrer, quod quoniam tam generalis est, ut conuerti cum diffinito nequeat. Quod quantumcumque generaliter intelligas, nō omnia tamen complecti, ad quæ tua effunditur diffinitio, unquam poterit: Neque enim id omne, in quo iudices autoritatē suam interponunt, dici poterit decretum: Id quod tamē in absoluta diffinitione exigui exploratissimum est ex .l. i. uersic. dolum .j. de dol. malo. Etenim, ut ostēdimus, nulla iudicis ordinatio facta dici potest, nō interueniente illius autoritate: Sed ordinationum eiusmodi quædam sunt, quas de plano expediti, seu per libellum hoc textu demonstratur: ijs autem modis factæ expeditioes, decreta dici nō possunt: Igitur nō id omne, in quo iudicis interuenit autoritas, decretū est: Nec tutari te hac in re potest, quod huiusmodi tuæ diffinitionis effusam usque adeo generalitatem cohibere uis uerbis ijs uideri, quibus decretum modo præfato abs te diffinitum, ma-

xime

xime in iurisdictione uoluntaria locum habere subijs: neque enim adiectione hac negas, quin ea etiam complecti illa possit, quæ contentiosæ sunt iurisdictionis. Et si crebrius id in uoluntaria contingere affirmes. Dicitio enim, maxime, sua natura casus includens, de quibus magis dubitetur, nihil excludit, ut est tex. in .l. nō numquam. ff. de collat. bonorum .l. qui se patris, ubi notatur. c. unde liberi. Sed do, quod tamen dandum nō est, ea utique ut expresse ab hac tua diffinitione, ac simpliciter exceperis, quæ contentiosæ sunt iurisdictionis. Neque hilo tamen ea citius admittenda fuerit. Quando nec exceptione eiusmodi excluderentur faciendæ per libellum, seu de plano expeditiones: quæ etsi, ut antea dictum est, decreta appellari non possint, uoluntariæ tamen iurisdictionis esse, ac iudicum in ijs autoritatem interponi non inficiaberis. Explodenda est igitur tua hæc diffinitio, quā defendere quoquo modo nō potes, quin uitiosam eā esse uel cæco, quod aiūt, appareat. Quid est igitur, quod hic Stella Alciatum, cuius esse ais hæc diffinitionē, tanquam loci huius uerba, et decreti significationem æquo magis restringentem taxat, qui Alciatus contra mihi potius eo nomine taxandus uideretur, quod tantopere, si tibi credatur, extendere uoluerit? Quod si cuiquam de restrictione reprehendendus fuisse uideatur, non id quidem a Stella fieri oportuit, a quo tradita nobis decreti quanquam, ut ipse existimat, generalissima significatio, tua tamen, seu abs te relata Alciati diffinitione longe ideo specialior, atque limitior est, quod illa eadem causæ cognitionis requisitione restricta, faciendas per libellum expeditiones abs se excludit, quas nō ambigitur sine causæ cognitione terminari. Quare non uideo, quorsum isthæc tendat inter duos istos tam male abs te instituta disputatio: nec tu ipse uides, opinor. Sed uides potius, nisi tu es prorsus excæcatus, quod

F ineptum

ineptum nobis, quāq; ridiculū ædideris, ac talibus personis indignum spectaculū: quum tu eruditissimos hos duos, ac celeberrimos hac ætate legum uertices ita inuicem inter sese disceptantes introducis, ut qua in re statuas motæ inter eos litis summam consistere, ea in ipsa sibi mutuo minime aduersentur. Equidem quum eorum hac de re sententias pro arbitrio confingeres, illos ipsos quod uelles cumq; loquentes introducens, concinne saltem, scite, atq; ita ingeniose disputationem constituere debuisti, ut ij quasi inuicem concertantes, sibiq; mutuo aduersantes, abs te in scenam producti, re ipsa inter se minime consentire: sed alter reprehendi, respondere alter, seq; in dubio recte ordineq; proposito defendere ita uiderentur, ne alienum ab assertionē argumentātis obiectum, & ad obiectū nihil pertinere deprehenderetur assertis responsio: neu præpostere, ac stolidè usq; adeo agerentur omnia, ut non sani, neq; sobrii hominum animi sermo, seu disceptatio uideretur. Ego hic profecto animi incertus sum, quid tibi uelis, tute Alciatinæ interpretationis defensorem quum profitearis, cur illam, si potes, non defendis potius, quam aliam ipse excogites? Et comminisci aliud non possum, quam quod Alciatus scripsit, esse abs te minime intellectum, ac per consequens arbitratum te nihil differre, utro modo diffinires, an secundum probatam illi sententiam, an ut tu hic diffinis. Quod si ita est Albuici, magnam tu quidem nobis ansam præbes, cæterisq; omnibus libellum tuum lecturis, non admodum magnifice de tua sentiendi doctrina, cui inter has differentes adeo usq; traditiones nullum facienti discrimen, Horatianum merito illud quis obiecerit, quod nescias, quid distent æra lupinis. Nec uideo, quomodo purgare te in omnem euentum possis, quin tibi homines

nes, uel dissolutæ incuriæ, uel inscitia deploratæ notam inurant, quod tu cumq; causaberis in causa tibi fuisse, ut in hanc incideres indiscretam confusio- nem. Quod si hic tu illud in animo habens, Dolus, an uirtus, quis in hoste requirat? fraudem hoc facto struas, ut quod aduersarij telum iusto prælio non potes, insidijs auertas & cuniculis: est quod in te in disputando candorem, in docendo bonam fidem desyderemus. Neq; nos tamen interim, deo gratia, stupidi adeo usq; ingenij sumus, ut hic non subodoremur, unde hæ lachrymæ: & hanc nobis diffinitionem quare stratagemate quodam illius loco substitueris, quæ antea ab Alciato in paradoxis ex communi opinione asserta fuerat. Cum enim interlocutiones decreta proprie dici non esses admissurus, id quod tu infra ostendis, & tamen quin illæ sub ea decreti diffinitione ab Alciato tradita continerentur, negari Stellæ id obijcienti non posse perspiceres, hic tu scilicet nobis alterius sane quam inauditæ diffinitionis excogitatione oculos fascinare præstituisti, in tantas te dedita, ut opinor, opera absurditates conijciens, quo Alciati tui lapsum tot alijs longe cædioribus ita uelares, ut ille non tantus sub opaca tam frequentium aliorum, tamq; insignium umbra deprehendi non posset. uerum perpende nunc tecum, quam pulchre hac uobis ratione consultum sit. Decreti diffinitio ab Alciato in paradoxis probata eorum, quæ decreta dici posse inficiamini, interlocutiones comprehendit tantum: tua uero diffinitiuas etiam, & quid non? Proinde q; tu infra scribis ea, quæ Stella de sententiâ interlocutoria in Alciatum intorquet, ad rem nihil facere, quasi sententiâ interlocutoriâ decretū proprie esse neges, miror qua id fronte contra

Interlocu-
tionē decre-
tum esse.

Alciati ipsius diffinitionē facere audeas, maxime quā eadem decretum appelletur in. l. Sed & si per pratorē. §. sed & si dum decreto. j. ex quibus causis maio. Et quæ in missionibus in possessionem interponuntur decreta, nonne decreta proprie sunt? ex primo enim eas statui, & ex secundo decreto leges dicunt: neque aliter usquam, quam decreta, peculiari uocabulo appellat iuriconsulti, & tamen iudicem eadem interponentem non, nisi interloqui, certissimum est, quod si negas, en tibi textum in. l. post sententiam. c. de sententijs & interlo. omnium iudi. in. l. a diuo pfo. §. in uenditione. ff. de re iudic. Ad hæc dubium nō est in missionibus huiusmodi iudicis autoritatē interponi, ut apparet ex titulo de bonis autoritate iudicis possidēdis. Vnde Paul. in titu. de acquiren. hæred. Iuste, inquit, possidet, qui autore prætorē possidet, ergo, si uera est tua diffinitio, decreta proprie dici debent. Quod si dicas non esse ea uoluntariæ iurisdictionis, Respondeo superius a me demonstratum ea a tua diffinitione non excludi, quæ contentiosæ sunt. Nunc uero nec excludi potuisse assero, quod ex ijs euidentibus est, quibus ego supra docui nō nisi ex motæ inter partes controuersia occasione in danda bonorum possessione decretali effici, ut de causa cognosci, ac per consequens interponi decretum sit necesse. Vnde consequitur in ijs potissimum extraordinarijs causis, quæ contentiosæ iurisdictionis sunt, quia causæ semper cognitionem requirunt, interponi decreta debere. Id quod directo tibi in eo aduersatur, quo tu indocte affirmans decretum proprie dici maxime in iurisdictione uoluntaria, indoctius rei huius exemplū subnectis de decretalis bo. possessionis concessione, quam contentiosam esse apparet. Proinde quod censuisse merito Alciatum, decretum hic in potiore, peculiariorique significatione accipi debere, frigida quadam argumentatione

Decretum
maxime in
contentiosis
interponen-
dum.

mentatione contendis, & nos idem censemus. Sed cum docere nequeas, quæ ea sit uera significatio, sed in eadem hallucineris designanda, tu nihil efficis. Neque satis scio quid tibi uelis, quum ais turæ opinionem accedere, quod huiusmodi abs te acceptum decretum per libellum potuisset expediri. Cum enim in eo, quodcumque sit, necessaria sit causæ cognitio, quam solam obstare hoc textu docetur, ne quid expediri per libellum possit, cur per libellum decretum potius tuum expediri, quam aliud quoduis negocium potuisse coniectas, in quo causæ peræque cognitio requiratur? non est enim quicquid dicas, quod ex subsequenti libelli dictione adigi quisquam debuerit, ut sensum hunc tuum ideo probaret, quod nouum non sit ex subsequentibus præcedentia declarari. Nam nos tuam in ipsa libelli dictione interpretationem recipendam esse non fatemur, de qua nunc quoque nobis ita differendum est, ut tuis illam ipsam rationibus nihil adiuuari conuincamus.

Libellum Alciatus quum in hoc Ulpiani responso pro supplicatione usurpari dixit: Stellæ nulla id ratione fieri uisum est, ut generis species alioqui multas sua natura significantis dictione simpliciter posita ad speciem hic unicam restringatur, ubi lege generaliter loquente, minime distinguendum fuit. Quinimo conuentionalem ille potius, accusatorium, denunciatorium, aut alium huius generis libellum in hoc textu intelligendum esse censet, propter rationem, quæ de ijs omnibus subiicitur, quæ causæ cognitionem desiderant, quæ in illis potissimum instantijs, in quibus eiusmodi libelli sunt necessarij, plena requiritur. Tu uero ut Stellæ satisfiat, restrictionis huius causam, quam sibi ille afferri desiderat, talem ab te excogitatam nonnullis subnixaratiunculis obrudēs. Quamuis, inquis, tot significationes libellus habeat, tamen hic necessario intelligitur de

Alciati, &
D. Stellæ o-
piones de
libello.

eo, qui proconsuli porrigitur. Is autem aut supplex est, aut conuenientialis. Sed audi Albuci: De eo tantum libello hic necessario intelligendum, qui proconsuli porrigatur, negat Stella: quare tui rursus huius dicti ratio proferenda est, alioqui nihil promouisti.

» De conuenientiali, inquis, intelligi non potest, quem
 » iurisperiti ueteres, qui emuncte, & eleganter lo-
 » quuti sunt, nunquam sic appellarunt: uerum inten-
 » tionem, uel actionem aeditam potius. merito igitur
 » de hoc non potest intelligi. Neque enim Ulpianus secun-
 » dum Pontificum aut Iustiniani in autenticis idioma: sed
 » ex ea lingua intelligendus est, quae apud doctos tem-
 » pore suo in usu erat. Haecenus tu, Sed quid ais? Li-
 » bellum, quem dicimus conuenientialem, non appellant
 » libellum iurisperiti, sed actionem aeditam: Nos pro-
 » fecto libellum uocamus libellum, & actionem uocamus
 » actionem: libellum breue esse quoddam dictatam con-
 » continens seu aeditam actionem ita putantes, ut inter se
 » utrumque non secus differat, quam id, quod continet, ab
 » eo, quod continetur. Vnde aedendam esse actionem dif-
 » ferens in. l. i. de aedenda, responsi huius autor Ulpianus.

» Aedere, inquit, est copiam describendi facere, uel in li-
 » bello complecti, uel dictare. Et in. l. si quis ex argen-
 » aedere, inquit, est uel dictare, uel tradere libellum. En
 » Albuci, ut in aedenda actione necessarium esse libel-
 » lum, quo aedi ea, ac describi possit, iurisperitorum
 » etiam responsis probetur: quod & alioqui satis persua-
 » deret rationis necessitas: alias enim ubi actionem de-
 » scriberes? Digitis in terra? Iam ergo non inelegan-
 » ter Iustinianus, Offeratur, inquit, ei, qui uocatur ad iur-
 » dicium libellus. Neque enim ille, sicut nec Stella, pro
 » actione ipsa aedita libellum usufurpat: siquidem tam
 » religioso delectu loquendum censes, sed pro libello
 » actionem ipsam descriptam continente. Neque aliter
 meo

meo iudicio pro supplicatione libellus usquam accipi-
 tur, ut & summus ille, atque incomparabilis uir D. Bu-
 daeus hic significat in illud Tranquil. in Aug. pro-
 miscuis salutationibus admittebat, & plebem tanta co-
 mitate aduentum desideria excipiens, ut quendam ioco
 corripere, quod sic libellum porrigere dubitaret, quasi
 elephanto stipem. &c. Libellum, inquit Budaeus, Tra-
 quillus uocauit schedulam supplicem, qua postulata po-
 pulares principi exponere solent. Quare ea, in quibus
 actionis uia proceditur, quod per eum aeditae actionis
 libellum a proconsule expediri nequeant probari in
 hoc textu Stella arbitratur, quem non tam hac in
 re inquirere, pro quo usufurpatur libellus, cum non
 nisi breuiculus, seu schedulam ubique quandam si-
 gnificare non nesciret: quam quae scripturarum ge-
 nera continere possit: ex hoc euidenter est, quod li-
 bellum diffinit nomen esse generale uarias scriptu-
 rae species continens: ac in hoc textu libellum sim-
 pliciter positum interpretatur, scilicet, omnem scri-
 pturae speciem, quae in iudicijs frequentari possit, ita
 comprehendentem, ut actionis etiam libellum com-
 plectatur: non tamen ut libellum hic accipi pro a-
 ctione ipsa uelit. Quanquam nihil mirum, si nos per
 figuram Metonymiam continente uteremur pro con-
 tento, id quod ut est ubique receptissimum, ita non alia
 ratione dici potest libellum pro supplicatione sumi, si
 usquam sumatur. Sed si generaliter, inquis, ex tot signi-
 ficationibus libellus hic acciperetur, plurali numero li-
 bellos iurisperitus dixisset, cum inuicem differant:
 aliusque sit appellatorius, alius dimissorius, alius conuentionalis.
 Achillaeum argumentum. Quum iurisperitus ait in. l.
 actionum, §. actionum. de actio. aut ex facto, aut ex con-
 tractu obligationes esse, & si numero singulari utatur, nunc
 tamen

tamen omnes contractuum species inter se quamlibet differētes cōprehendit: in. l. Qui actionē habet, ipsam rem habere uidetur, de reg. iur. An una tantum actionis species, actionis singulariter enūciata uocabulo significatur? Non opinor. Cur ita? Quoniam iuriconsultus tum alibi, tum in. l. in usu. j. de uerb. signi. in usu, inquit, iuris frequenter uti nos Cassellius ait singulari appellatione, cum plura generis eiusdem significare uellemus. Et interpretes nostri nihil frequentius inculcant, quam indefinitā loquutionem plurali æquipollere. l. 2. §. Item si in facto, de uerb. obli. Quamobrē Stella iuriconsulti de libello loquentis uerba, simpliciter hic, ac sine specificantis declarationis adiectione posita, ita generaliter intellexit, ut in omnem libelli speciem extendenda opinaretur, quā libellos plurali numero iuriconsultus ideo non dixerit, quia ita loquentem nec contextus tenor, nec decreti singulariter quoque positi correlatio ferre potuisset. Atqui nihil faciendum est, quod a iuris Rubricā de probationibus, multitudinis numero scriptam, quia inuicem species probationū differunt. Nam ego id inficio: imo de probationibus potius illic, quā de probatione non aliam ob causam positum est, quā quia ita uisum est auctori, qui utro numero rubricam illam enūciaret, nihil intererat. Si enim singulari, ipsaque indefinita oratione rubricam eiusmodi, de probatione, præfixisset, nihilominus inter se differētes probationum species quascūque per traditam superius doctrinā comprehendisset, quā pluralitatis numero cōplexus est. Neque, si ita Philippus Decius non senserit, urgeri propterea illius autoritate uelim, qui quā ineptū se loci huius enarratorē præstiterit, nemo ignorat, qui illius legerit commentarium in. l. omnia quæcūque, de reg. iur. Vbi prudendum aliorum deliramentum sequutus, libellum hic pro iudice delegato accipi arbitrat. Atqui si uerum est

Indefinita
loquutio, p
plurali.

Rub. de p
bationibus.

Phi. Decius

est uestrum de hac re iudicium, cur quod in Pandectis & civilibus institutionibus plurali numero intitular, de uerb. oblig. in imperatorio Codice singulari numero positum est: de contrahēda, & committenda stipulatione? At nouum minime est eiusmodi non præpositæ minus, quā tædiose anxietatis nœnias ab interpretibus circa rubricas effundi, ueluti. ff. de adendo, sedulo obseruant illic potius, De adendo, per gerundium, quam de aditione, per uerbale nomen rubricam excribi, quasi magnū aliquod insit mysterium: Quas aniles eorum nugas lepide admodum, doctaque illud ratione a Stella nostro memini, titulum illum prælegente; qui ut demonstraret in huiusmodi tricis nullo fructu, ac non nisi ingeniorum uexatione doctores tam multis immorari columnis, ostendit quomodo nulla facta differētia in Pandectis esset, Qui satisfacere cogantur: In Codice, de satisfando: In Institutionibus, de satisfactionibus. Quare Albuci, non est, quod hoc nos obiecto impetas, quod nescio quā certum tibi, atque efficax uideatur: certe indignum iudico, quod ab homine docto proficisci in hoc proposito ac contorqueri in quenquam, nedum in Stellam, debuerit. Verum tu illud subinde confirmari ex eo scribis, quoniam quum simpliciter lex de libello loquitur, ut hic, apparet de supplici iccirco intelligendum, quia libellum in alio sensu non accipimus, nisi qualitatis adiectione significatio declarata sit, ut quum libellum appellationum dicimus. Itemque dimissoriū, &c. Multa dicis Albuci, nihil probas: imo uero, quicquid ex tuo fingas, uerissimum esse affirmo, quod Stella tradidit libellum, cum nomen sit generale, si simpliciter de eo lex loquatur, interpretationem a subiecta materia accipere, ac secundū eam quæcūque sit, intelligi debere, ueluti ille de decreto, de credito, & contractu eleganter disseruit, ut enim in regula iuris Iulianus ait, Quotiens

G idem

idem sermo duas sentētiās exprimit, ea est potissimum accipiēda, quæ rei gerēdæ aptior sit. Q. si nihil esse uis deatur, cuius contēplatione cohiberi legis generalitas possit, lege tum generaliter loquēte, nec temere distinguendū, nec restringenda sunt uerba, Quod quum uos cōmittatis, libellum hīc simpliciter positum ad supplicationis speciem, nō probabili ulla ratione producta, cōartātes, an nō uestrā nō admitti sentētiā oportere merito cēseamus? Vnde enim euincere potes, quod ais, ubi qualitatis adiectione libelli significatio nō declarat, de supplicii itelligēdum esse? Libellū igitur pro supplice accipi interpretaberis, in titu. c. de sentētijs ex rescripto recitandis, in. l. libellorum, §. Item, ff. de accusa, per totam. l. scio quæsitum, ff. de appel. cum nude ibi libelli uocabulo & absq; specificante ulla adiectione utantur iurisconsulti? Q. si dicas satis ex proposito sine adiectione illic innui, quisnā ille sit libellus, eadem ratione respondeo, nusq; probari posse libellū simpliciter poni, ut pro supplicatione accipiatur, quin ita accipi debere uel personæ, puta principis cui offertur, uel supplicationis mentio, uel propositi tenor euidenter demonstraret. Alioqui cæteras libelli species sine declarationis adiectione frequentius offendas, q̄ supplicem, qui uix usquā simpliciter libellus, sed supplex ubiq; appellatur, uti in eo loco, quē tu unicum ex Martiale adducis. Idem supplicibus uacat libellis. &c. Demum nec te moueri subijcis, q̄ etiā in appellationū causis, & publicis iudicijs, & actiōibus, ubi causę cognitio necessaria est, nō sufficeret p̄ libellū expedire, quia hoc indubitati iuris est. &c. Et fortassē tā peruiçax es, nullo ut moueri argumēto, nullaq; persuaderi quālibet inuicta ratiōe possis, quin mordicus tuæ huic sententiæ perpetuo adhæreas. Sed si magis indubitati iuris esse supra dictos actus per libellū nō posse expediri, q̄ cæteros, de quibus uis

hunc

hūc textum intelligi, euinceres, quod tamē nō posse te ostēdam: quid inde inferes, quo nos urgeas? An nō & illud indubitati iuris est, qd̄ in regulis iuris dicitur, in toto partē, & semper in generibus specialia inesse, iura sanguinis tolli nō posse? Quod iurisconsulti etiā nec potētiori pares nos esse: nec factas causas infectas fieri posse dicunt, in. l. §. j. de alie. iud. l. in bello, §. factæ j. de capti. Quid igitur absurdi futurū esset, si textus huius decisio, quæ inter iuris regulas ponit, in. l. oīa quæcūq; uere iuris regula est, iuris perinde esse indubitati, atq; superiores deprehendatur? Sed iurisconsultus, inquis, uoluit casum ambiguum decidere, nempe quū de decreto agimus, id est, autoritate interponēda in causis, quibus controuersia partium nulla est, uidebat enim tum sufficere, si subscriberet, &c. Vide Albuci, q̄ paucis uerbis quātum falsi includas. Primum, quum ais iurisconsultū uoluisse, cum nulla euincas coniectura, manifesto diuinare, ac tui te animi somnium sequi ostendis. Secundo, quum decreti extraordinarij causas plus hac in re dubij habere scribis, an per libellum potuissent expediri, quam cæteras causas, quas indubitatum esse asseris non potuisse, falli te manifesto inde apparet, quod antea ostenderim causæ cognitionem, quæ sola obest, ne quid expediri per libellum possit, non nimis in decreti extraordinarij causis, quàm cæteris exigi. Vnde rursus, sequitur perperam scilicet iterum abs te, & indocte decretum diffiniri, ut autoritas dicatur in causis interponenda, quibus controuersia partium nulla est. Si enim in interponendo decreto causæ cognitio, ut hic textus ait, necessaria est, quam ob motam ut plurimum controuersiam requiri docuimus, maxime in bo. possessione decernenda est, per consequens frequentius interponendum illic decretum, ubi partium controuersia

G ij est.

est. præter hæc inter subscriptionē, & decreti interpo-
sitionē differētiā constitutis, quā cū aduersus Alciatum
D. Stella cōfutarit, nulla defendēs respōsione iterū as-
feris. Et his tam luculēter ppositis, parta ueluti iam ui-
ctoria exultās, opinor, inquis, agnoscis rationē, quā tan-
topere afferrī desyderas, cur potius de supplice libel-
lo intelligatur, q̄ de cæteris libellis: imo Aluci, si cur-
pias, ut eā agnoscere tua inuentione quisquā possit, alia
nobis profer, cū frigida isthæc omnia, præter q̄ sunt
falsissima, ut uides: talia etiam sunt, ut si ipsa in se essent
uera, nec tamē ad asserēdam hīc illā, quā aucuparis, ra-
tionē multū pertinēt. Nūc tandē nobis dispiciēdum,
num eximiorē te, ac strenuū magis in postremo hoc, q̄
in cæteris disputationis huius capitibus, Alciati ppu-
gnatorē præstiteris. Quum ait Alciatus, in causis, quib-
us summarie, & de plano, pceditur, iudicē posse per li-
bellum rem expedire. Id Stella notat: quoniā in ijs per-
inde sit in scriptis ferēda sentētia, nec minus plenæ p-
bationes requirātur, quātum ad cognitionem ueritatis
rei, quæ est in controuersia, q̄ in ordinarijs iudicijs.
Cle. sæpe. de uerb. signif. Tu mirari te ais Stellā huius-
modi argumētis uti, quæ nemo nō aliena a pposito ui-
det. Vnde falces, inquis, petebā, tu negas scaphā mihi.
Nō dubito Aluci, quin tibi admodū uideare festiuus
hoc Prouerbio: ridens tu quidē inter im, sed nō perspi-
ciēs mutato nomine fabulā de te narrari, qui mirari te
dum hīc scribis, magnā tu quoq̄ mirādī occasionē le-
ctoribus præbes, qui factū fuerit, ut rem tam temere
tractandā, causamq̄ suscepēris tutādam, in qua, ut abū-
de demonstras, nihil intelligis. Atqui, ut argumentis, si
Diuis placet, a pposito alienis Stellā hoc loco uti cōuin-
cas, ita ratiocināris, scilicet: Quum Alciatus semper de
eadē loquens materia, uidelicet ubi lex autoritatē iudi-
cis requirit, & res sit uolūtariæ iurisdictionis, tradat, si
alia

alia causæ cognitio nō requiratur, subscriptionē libelli
sufficere: ueluti in emācipationibus poterit iudex per
libelli subscriptionē, autoritatē interponere: poterit iudicē
litigantibus hoc modo dare: poterit bo. possessionē
hodie ex cōmuni sentētia cōcedere: quoniā hæc aliam
causæ cognitionē nō desyderāt, ueluti nec cæteræ cau-
sæ mixti imperij, quæ ex uolūtate agētū terminantur:
Stellā tamē de causis cōtrouersis ad iurisdictionē perti-
nētibus argumētari ais, de quibus uerbū nullū Alciatus
ipse fecit. Hæc tu etsi nō hoc utiq̄ contextu, iisdē tamē
uerbis, eodēq̄ sensu ita circūspecte, ita docte scripsisti,
ut nullus in ijs uersiculus sit, qui nō errorē cōtineat ma-
nifestū. Principio tu ad eūdem perpetuo offendēs lapi-
dem, tuā toties nobis obtrudis diffinitionē, illic maxi-
me interponi decretū oportere cōtra hūc textū tradēs,
ubi agētū uolūtate omnia sine cōtrouersia fiūt, nec alia
requirit causæ cognitio. Toties subscriptionē inculcas:
& bo. possessionis decretū iurisdictionis esse uolūtarię
scribis: in quibus iam te antea satis cōfutato, nō est q̄ in
ijs immorari amplius debeā. ¶ Deinde tu exēpla subiū-
gis, quæ uoluntariæ simul iurisdictionis, & mixti esse
imperij cēses. Ast Aluci, si iurisdictionis sunt, nō sunt
mixti imperij: si imperij mixti, nō sunt iurisdictionis,
inquātū quidē diuersæ sunt, ac separatæ species, præ ut
te hīc eas capere illinc apparet, q̄ minime a Stella con-
fundēdas fuisse ais, ipse interim omnia hīc confundens.
Sed age, do aliquo sensu iurisdictionis nō nihil, simul &
mixti esse imperij posse: impossibile tamē esse dico, ali-
quid uoluntariæ iurisdictionis simul & mixti imperij
esse. Et qd̄ scribis quasdam causas mixti imperij esse, quæ
ex uolūtate agētū terminantur, usq̄ adeo falsum, atq̄ a
ratione alienū esse uideat, ut opposita eodē in subiecto
esse cēseā. Cū enim mixtū imperiū nō nisi animadu-
sio, seu modica quædam coertio sit, l. i. in fi. & l. si j. de

Nihil si-
mule esse po-
test uolūta-
riæ iurisdic-
tionis, &
mixti imperij
Mixtū ipe-
rium quid.

off. eius, cui mand. est iurisd. quomodo quæ sunt mixti imperij, cõcordi agentium, id est, aduersarij puniendi, & puniri eundem postulãtis uoluntate terminari dici poterunt? An sua uoluntate coerceri se quisquã postulabit, uel ita lubes feret, ut nõ in inuitũ huius generis iudicia dicatur reddi? ¶ Iam qua frõte asseris emãcipationẽ, bo. possessionis, ac iudicis dationẽ mixti imperij esse? quũ nullã cõtineãt animaduersionẽ, maxime quũ etiam secũdum uulgo ante hac receptã imperiorũ distinctio- nẽ, quã tu pbari uis, iudicis datio iurisdictionis esse tra- dat per. l. imperiũ, in fi. ¶ Sed age Albuci, tibi cõcedo, ut quã uelis sequẽs opinionẽ, interponẽdũ in bo. posses- sionẽ decretũ, quod nec iurisdictionis uoluntariã, nec mixti esse imperij ostẽdi, & iurisdictionis uoluntariã, & mixti pariter imperij esse tuo iure iuri scripto quã- libet aduersante statuas, modo tu mihi uicissim nõ dene- ges, qd' hic & ubiq; fateris, illud ipsum decretũ ex illo- rũ genere esse, de quibus textũ hũc intelligẽdum esse sentiẽs, summariã ppter ea cognitionẽ nequaquã in ijs- dẽ sufficere post Alciatũ sustines. Neq; enim tua te ser- uabit distinctio, quin qd' indistincte Stella asseruit ea, quæ siue plenã, siue minorẽ, id est, summariã tantũ cau- sã cognitionẽ desyderãt cũ decreto, nõ per libellũ ex- pediri debere usq; quãq; tam uerum sit, q̃ irrefragabilis est Vlpiani autoritas: qui in. l. i. §. Si ea, quæ in poss. de uẽtre in pos. mittẽdo. Si ea, inquit, quæ in possessio- nẽ uult ire, uxor negeĩ, uel nurus esse, uel fuisse: uel ex eo prãgnãs non esse contẽdatur, decretum interponit prætor, ad exemplũ Carb. edicti. Et ita Diuus Adria- nus Claudio Proculo prætori rescripsit, ut summarim de ea re cognosceret. Equidẽ nemo non perspiciet his Vlpiani uerbis facta summarim cognitione, decretũ in- terponi, ut & in. l. 3. §. causã cognitio. j. de Carb. edic. ubi apparet in danda bonorum possessione Carbonia-

Decretum
interponi,
ubi est sum-
maria tantũ
cognitio.

na

na satis esse summariam causã cognitionẽ, & si eã cer- tissimum sit cũ decreto dari oportuisse, ut ostendimus, & est textus in. l. Si impube. §. quotiens. eo. titu. Præ- terea, summariam tantum ipsam cognitionem exigĩ, ut decretum super adiudicandis alimentis interponatur, expressum est in. l. Si quis a liberis. §. si uel parens. & §. solent iudices. j. de liber. agnoscẽdis. Vide Albuci, ut tibi effugiendi uia omnis præclusa est, nec tua tibi profit distinctio. ¶ Quæ si ab Alciato prius, & nũc abs te inter uoculas potius has, de plano, & summarie, seu summarim facta fuisset, non im has incidissetis hallucina- tiones, autorem uestræ opinionis laudaturĩ Barto- lum, qui in glosis illis, quas in Henrici septimi consti- tutionem: Quomodo in lesã maiestatis crimine pro- cedatur, ædedit, post habitam de his uocabulis plenissi- mam disputationem; ita concludit: Hic patet, inquit, quod illæ leges, quæ dicunt de plano cognosci, lon- ge differunt ab ijs quæ dicunt causam summarie agita- ri. Quare ubi de plano procedendum est, & si per libellum responderi sufficiat, quum tamen summarie causã cognitio est necessãria, non per libellum, sed per decreti interpositionem expediri oportet. Hæc sunt Albuci mi, quæ mihi satis esse uisa sunt ad con- uellendas tuas, atq; diluendas responsiones. Nam rei huius inter uos controuersã summam in Vlpianici responsi intellectu consistẽtem, nec attingere ulterius lubuit: nec ipse quid sentirem explicatius aperire uis- sum est necessarium, q̃ Stellanæ interpretationi quo- minus subscribi imposterum ab omnibus debeat, nihil obesse profligatas libelli tui copias satis habuerim ostẽ- dere: Ostendisse enim confido. Quãquam non fidẽ ha- beri hic mihi, sed rationibus credi uelim, qua in re diu- dicãda aliorũ, neq; doctrinæ huius insolentiũ, neq; animi candore destitutorũ hoĩm, tuũq; adeo ipsius, si tantisper integer

Differunt
summarie
& de plano


ANTAPOLOGIA


integer esse nō graueris, iudiciū imploro: Nā, ut de me dicam, quoniā, ueluti scribit ad Brutū M. Cicero, potest nō solum aliud mihi, ac tibi: sed mihi ipsi aliud alias uideri: si quod ego defendo, efficacibus oppugnaris argumentis, tuam interim sententiā potiorē esse demonstrās, assensorē tu quidem me actutum, & hac tibi in re obsequētissimum habebis sectatorē: Nam & nunc tibi bene cupiētem me habes, quando nihil uetare arbitror hominem nulla simultate, sed incolumi constanter beneuolentiā, ab homine dissentire: Vt enim dissidere ab altero humanum, & ex se malum non est reprehendere, ita cuiquam male uelle, est a Christiana professione alienissimum. Bene uale Aureliæ. 1529. Idibus Iulij.

FINIS.

Errata.

Folio.	Pagina.	Linea.	Lege.
5	2	ultima.	nodumq;.
8	2	22	quibus ex edicto.
9	1	7	comprehensæ.
10	2	11	aditæ.
11	1	24	pro cum, eum.
ibidem.	2	3. à fine	tradendam.
13	2	16	pro duas, id est.
14	2	7	pro quæ, quis.
15	2	3	lubenter.
ibidem.	eadem.	4	quandam.





13. 4. 77.